Πὰρ δ' ἄρα Βρισινίδαις κατέλυον. τῶν δὲ τυχοῦσαι
Εὐμενέων, νύμφης σὺν δ' ἅμα Κειμολίδος,
Ὁππότε Κασταλίην τε καὶ Ὀρχομενὸν πολύδωρον
Φεῦγον, καὶ γενεῆς σῆμα πολυσπερέος,
Μνησάμεναι ξενίης ἐπανήλυθον ἔστ' ἐρατεινῆς
Ναΐδος, εὐγενέων τ' οἰκί' ἀοιδοπόλων.

ΕἸΣ ὍΜΗΡΟΝ.

Ὁππότε δὴ μακάρων ἐς ὁμήγυριν ἤγαγεν Ἑρ
Μαιονίδην, σοφίης εἵνεκ' ἀπειρεσίης, (μῆς
Μῶμος ἀλαστήσας τοῦτ' ἦν ἔτι λοιπὸν ἔειπεν.
Ἄντυγος αἰθερίου τυφλὸς ἀνὴρ ἐπέβη,
Τὸν δ' αὖ Λυγκεΐδης γένιασεν βάσκανε Μῶμε
Ἀφραδέως σκώπτων αὐτὸς ἔφυς ἀλαός.
Οὑμὸς δὲ τρόφιμος, Διὸς ἔκγονος, ἔδρακεν ὅσσα,
Γαῖα θάλασσ' ἀὴρ οὐρανὸς ἐντὸς ἔχει.

Ταῦτα φανῶν μερόπεσσι κατήλυθεν ἐκ Διὸς ἐς γᾶν.
 Νῦν δ' οὖν πάντα πορὼν, ὃ ἔργον ὧδ' ἔμολεν.

ΕΙ'Σ ΤΟΥ'Σ ὙΠΟΜΝΗΜΑ
ἰσὰκ αὐτοῦ.

Πάντ' ἀνέφαιν' εἰδὼς γ' ὡς ἥλιος. ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
 Αὐτὸν ὁ μαιονίδης τοῖς ἀναλεξαμένοις.
Ὡς δὲ γ' ἐπισκιάει νέφε' ἥλιον, αἰόλος αἰὼν
 Ἠρέμ' ἐπεσκότεε ῥήσεσιν ὑμναγόρου.
Τοὔμπαλιν δ' ὡς βορέης νέφε' ἤλασε, γραμμ' ὑποφήτου
 Τοῦτο παλαιγενέων τὸ σκότος ἐσκέδασε.
Τοὔνεκά μιν κτήσασθ', οὓς ἵμερος ἀνέρος αἱρεῖ,
 Ἀτρεκέως σοφίης κάλλος ἐσοψόμενοι.
Οἱ δ' ὑποβαλλόμενοι σμῆνος σοφιῶν ἀναγώγων
 Χαίρετε, κηφῆνες κηρία μαιόμενοι.

ΕΙ'Σ ΣΟΦΟΚΛΈΑ.

Πόλλ' ἐκ τεῶν σελίδων εἴποιμι κεν ἠὲ σοφίλου,
 Δείγματα σῆς πινυτοῦ πόλλ' ἀρετῆς μαρτυρείης.
Ὅσσα μεθηρμόσατο τραγικῆς περὶ κόσμον ἀοιδῆς
 Ὡς μέρος, εἶδος ἅπαν, τῶν πάθος ηὕρεπικας.
Κάλλους, εὐστομίης. ὕψους τέλος ἐξεπόνησας,
 Ζῆλον ὁμηρείης γνήσιον εὐεπίης.
Ὥς σε Δίων, Ξενοφῶν, σκώπτης σῶν τ' ἤνεσ' ἑταίρων,
 Ἀρχέτυπον τραγικοῖς θῆκεν Ἀριστοτέλης.

Σόν τε κόθορνον ἄεισεν ὅκ' εἰς ἐὸν ἡγεμονῆα
 Ἀγνώμων ὄκνου ἔκγονος ἀονίου.
Ἀργεάδης βασιλεὺς μετάπεμπτον σύμμαχον ἔσχεν,
 Ἶσά τε μαιονίδου τέρπετο σοῖς ἀέθλοις.
Πολλὰ τεῶν ἀρετῶν σεμνώματα, ὧν δὲ μέγιστον
 Χρείσσονας ἡμείους ἔπλασας ἢ φύσις.
Λῆμά τε γενναῖον λαοῖς πόρες, οὓς ὑποφήτους
 Ὧν βάτος οἷα πατρὸς θέλγε διδασκαλίῃ.

ΕΙ'Σ ΤΑ' ΠΟΡΦΥΡΙ'ΟΥ

ζητήματα.

Πορφύριο λογίοις ἀρύτεσθε. πηγάδες τε πηγῆς
 Ἀενάου, γλαυκερὸν χεῦμα χαριζομένης.
Κἀμοῦ γ' ὁπλοτέροιο περὶ φρένες ἠερέθοντο
 Ἀρχὰς, κινήσεις, εἶδος, ἄπειρα, κενά.
Ἀλλὰ μεσαιπόλιον φοῖβος σειρῆνας Ὁμήρου
 Προὔτραπέ μ' ἀμφιέπειν, ὥσπερ Ἀριστοτέλη.
Καὶ γὰρ ὅγε προτέρους νέος ἴδμονας ἀνέρας αὕτως
 Νείκεσε, καὶ σοφίην τεῦξεν ἀτιμοτέρην.
Πρέσβυς ἀμειβαίοισι λόγοις κύδαινεν Ὁμήρου
 Μοῦσαν, καὶ πινυτὴν ἤνεσεν ἀσφαλέα.

ΕΙ'Σ ΤΟ' ΒΑΡΙ'ΝΟΥ

λεξικόν.

Α. ἡ βύβλος μεγάλη παραπέμπεται δ' ὅσα κέκευθεν.
 Ἀλλὰ τίνος; Β. μεδίκων τήνδ' ἐπόνησε φόρον μ.
 Α. Τίσ δ'

Α. Τίς δ' οὗτος; Φιλέει πολέας, κομέει τε θανόντα
Εὐμαθέα καὶ τάγον δῶμα κλυτῶν μεδίκων.
Β. Τοιγὰρ ἐγὼν ἐποίεον ὃ ἀμείψομαι οἷά μ' ἐρωτᾷς.
Α. Τίς, πόθεν, ἢ τίνος; Β. εἶπα τίνων, μεδίκων.
Α. Οἶδα τόδ', ἀλλ' Ἕλλην; Β. Ἕλλην δοκέω. Α. Φορέουσιν
Ἡμεδαποὶ δ' ἄλλοι. Β. Αὐσονίων γονέων.
Α. Πῶς δ' Ἕλλην; Β. Πεύθεν τεκμαίρομαι Ἑλλαδικαῖσι
Σπουδαῖς, καὶ δ' ἄλλως εἴρεο πυθαγόρην,
Εὐφόρβου ψυχὴν πῶς ἔλλαχεν. εἰ θέμις εἰπεῖν,
Ὧδε βαρῖνος ἔφυ γραικὸς ἐν οἰνοτρίῳ.
Α. Πέιθεις. Ὦ τε χάρις καλὰ λείψανα θεσπιδὸς αὐδῆς
Ὀλλυμένων δαναῶν τῇ δ' ἀπωνησαμένων.

ΕΙΣ ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ ΔΗΜΗ-
τρίου τοῦ Χαλκονδύλου.

Πριάμενος διδαχαῖς Βασιλέου εἶπεν ἀλάστωρ
Γνωτοῖς γηγενέσιν δαίμοσιν ἀρχεκάκοις,
Ἤν ἱ βροτοῖς σοφίην χαλκόνδυλος Ἑλλάδος ἔρνος,
Ἀσὸς ἀθλιαίης πάτριον αὖ κατάγει,
Ἡμετέρῃ κακότητι. τί μέλλομεν, ὄφρα καὶ αὖθις
Πυρσοὺς εὐμαθίης Ἑλλὰς ἅπασιν ἄροι;
Ἄγριον ἄμμι φίλον, γαίης δ' ἔπι κάρτος ὄληται,
Ὡς πρὶν ἐφ' ἡρακλέους, καὶ σοφίης τροφίμων.
Εἶφ' ὁ μὲν. οἱ δ' ἐπόρουσαν ἀολλεῖς νοῦσον ἔχοντες
Σύμμαχον ἀπειδῆ βάσκανον, ἠϊθέῳ.

Τοῖσδ᾽ ὅγε πόλλ᾽ ἀχέων εἶκε χθονὸς, αἶψα λιασθεὶς
 Ψυχῶν τ᾽ ἀχράντων ἵκετο συμμορίην.
Ἡμιτελῆ σοφίης μελεδήματα πένθος ἄλαστον
 Μητρὶ, κασιγνήτοις, πᾶσι λιπὼν ἑτάροις.
Ζεῦ μεγάλ᾽, εἰ δ᾽ ἔλλησιν ὀδύσσαο, φείδεο πέμπειν
 Ψυχὰς εὐγενέας δυσμενέεσσι γένων.

ΕΙΣ ΡΑΦΑΗΛΟΝ
τὸν ἐκ Οὐρβίνου.

Σῆς Ῥαφάηλε χερὸς θηεύμενος ἀμφιγυήεις
 Ἔργα θεῶν μορφὰς, εἰκόνας ἡμιθέων,
Οὐκ ἄπερ ἀφροσύνης χάριτός τ᾽ ἅπερ τάδε ποιεῖς.
 Ὥς σε δ᾽ ἐμὴ γαμετὴ ἡ χάρις αὐτομολεῖ.
Οὐ μόνοι δεσμοὺς, οὐ δίκτυά γ᾽ ἄνευ τεύξω.
 Οὔτε γέλων μακάρεσσ᾽, οὐ μερόπεσσι λίθῳ.
Πῦρ δ᾽ ὀλοὸν λάψει σε τὸ συγγενὲς, ὄφρ᾽ ἀπόλοιο.
 Κύπρις δ᾽ αὖ παρ᾽ ἐμοὶ, καὶ χάρις αὖθι μένοι.
Εἶπ᾽. ὠκεῖα δὲ θεῶν φθονερὴ τίσις. αἶψα δὲ καῦσος
 Εἰσφρήσας ψυχὴν σῶν λίασ᾽ ἐκ ῥεθέων.
Λῶστε ζωογράφων, σὸν δ᾽ αὖ κλέος οὐκ αὖ ὄλοιτο,
 Οὔτ᾽ ἐρατῆς σοφίης, οὔτ᾽ ἀγανοφροσύνης.

ΕΙΣ ΛΟΔΟΪΚΟΝ
τὸν βεράτοντα.

Κάλλει θ᾽ ἱπποσύνῃ τε κεκασμένον, Ἑλλάδι κοῦ
 Ἤθεσί τ᾽ ἐγκεράσας Ἰταλικὸν ἀρετήν, (σιν

Λοδόϊκος

Ἀνδόνικος κόντερος πάτρης ἐκὰς ἐνθάδ' ἰαύει,
Πιστὸς ἀλωομένου Λασκάρεως θεράπων.

ΕἸΣ ὌΡΓΑΝΟΝ ΛΊΘΙΝΟΝ.

Λαϊνέους δόνακας μαντεύσατο ἄνακτος
Φωνεῦντας ποτ' ἰδὼν κλεινὸς Ἀριστοτέλης,
Οὐκ ἂν ὁμώνυμ' ἔλεξ' αὐλοὺς, ὡς χεῖρα καμόντος
Ἔργον ἐὸν τελέειν ὄργαν' ὁρῶν λίθινα.

ΕἸΣ ΤῸ ΑΥ̓ΤΌ.

Ναὶ λίθος αἰθιοπεὺς μέμνων ἀσπάζεται ἠῶ,
Μύρεται ἐν σιπύλῳ πέτρος ἄπαις νιόβη.
Χ' οἱ πύργοι βύζαντος ἐφώνεον, ἀλκαθόου τε
Λᾶας, νημερτῆ θαῦσο μαρτυρίην.
Λαΐνεοι δόνακες συμφράδμονες εἴκελον αὐδὴν
Ἀνδρομέῃ προχέουσ', ἔμπνοον ἁρμονίην.
Τῶν δὲ διὸς ζαμενὴς ἠδέσατο φθέγμα κεραυνὸς,
Κοὐκ ἔθιγεν, τὰ πέριξ πάντα λυμηνάμενος
Μορφὰς ἀθανάτων, ἀνδρείκελα, τεύχεα, κόσμον
Ἑστίων μεγάρου τῶν ἀκροτειρεσίου.
Μουσῶν σοφὸν ἔργον ἀκήρατον, αὐτέρα θεῖον,
Οὔγε φίλου κτέρεος φροντίδ' ἔχουσι θεοί.

ΕἸΣ ΔΩ͂ΡΟΝ

παιδίσκης.

Ὄρνιθος κρονίδου γῆρας κορύδου νεότητα
Ὅσσον ὑπερφρονέει κόρη πλησαμένη,

ὁπλοτέρων ὄαρους ἀπανήνατο, δῶρα δὲ τ' ἔπεμψεν
Ἀνδρὶ μεσαιπολίῳ μνῆστιν ἔχοντα πόθου.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΛΒΗΣ
τοὺς ἰβηρίδας ἡγεμόνας.

Ω πόποι. ἑλλαδικῆς ὁπὸς ἔκλυον ἠιθέοιο.
Ἡ θεὸς ἠιθέῳ εἴκελος ὅσσ' ἐπάφει.
Οὐ θεὸς. ἡγεμόνοιν δ' αὐχῶ γένος οἳ κλυτὸν ἄστυ
Βύζαντος προλιπόντ' ἤλθον ἐς ἑσπερίην.
Λασκαρειδῶν φύτλης; ναὶ ναὶ φίλος, ἀλλὰ σὺ αὐτὸς
Ἔνθεν ἔφυν. κεῖθεν τίς δ' ἐς σὲ γένεικε τύχη.
Τὴν δ' ὁδὸν οὐ με τύχη δὲ δεῦρ' ἤλασεν, ἄγγελος ἥκω
Προσδοκίης νόστου πατρίδ' ἐς ἠγαθέην.
Ὦ δὲ μόλοις ἡμῖν εὐάγγελος. ἀλλὰ τίς ἄξει.
Πῶς δ' ἄξει πάτρης φῦλα πολυσπερέων.
Εἴ γε τεὸς γενέτης πείσει φρένας ἡγεμονῆος,
Εὐσεβέων πολέμους τρέψ' ἐπὶ δυσσεβέας.
Εὐμαρὲς. ἡγεμόνος ταῦτ' ἐν χερί. νείκεα λῦσαι
Ἐνδυκέως γενέτης λίσσεται ἡγεμόνα.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΝ ΜΑΝΤΟΥΗ ΤΗ ΚΑΡ
πιτανῶν Ἐλλωισὶ προσαγορευόμενα αὐτὴν καὶ τὸν υἱόν.

Λασκαρειδῶν γενεῆς οἵδ' ἔκγονοι, ἧς ποτ' ἄρω
Κραντῆρες ἑλλήνων ἦλθον ἰβηριάδι. (γοὶ
Χαίρετ' ἐπὶ ξενίῃ δεῦρ' εἴσιτε. χαῖρε καὶ αὐτός.
Ἕλληνος ξενίην δ' οὐκ ἀπαναινόμεθα.

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ τίς εἶ; πολίων τίν' ἐπεύχεαι ἑλλάδος αἴης
Πατρίδα σήν; ἔμολες πῶς πότ' ἐφ' ἑσπερίην;
Οὔνομά μοι Σοαρεὺς. πατρὶς δέ μοι οὖδας ἰβήρων.
Φθέγμα τόδ' ἡμεδαπῆς πατρίδος, ἐξαπατᾷς.
Οὐ μὰ τὸν. γ' ἐν σελίσιν ἠσκήσαμεν ἑλλάδα φωνήν.
Θάμβος ἔχει μ'. γ' οὐδὲν ταῦτ' ὑποφρασσόμεθα.

ΕἸΣ ΤῸΝ ΑὐΤΟΚΡΆτορα Κάρολον.

Πείθουσίν με λέγοντες ἐπ' αὐτολίην ἀπὸ δυσμῶν
Ἔμπαλιν ἠέλιον λάμψαι ἀνερχόμενον.
Καὶ γὰρ ἀφ' ἑσπερίων ἡμῖν προφάντως ἀνέτειλεν
Ἀστὴρ ἠέλιος Κάρολος, ἄναξ μερόπων.
Ἀλλ' ὑπερειονίδη μέγα μέμφεται ἔθνος ἐρεμβῶν,
Κάρλον κόσμος ἅπας εὔχετ' ἄνακτα λαβεῖν.

ΕἸΣ ΦΈΡΝΑΝΔΡΟΝ ΤῸΝ ἘΚ ταόχων ἀποθανόντα ἐν τῇ εἰρημένῃ Μαντύῃ.

Ἐσλῆες ταόχων ἠμείψαμεν αὐγένος αἶαν,
Εὖτε γε τῶν ἄρης μαίνετ' ἐν Ἰταλίῃ.
Κἄπειτ' ἰονίου ἀκτὰς περιναιετάοντες,
Ἡμῖν ἑῶν πολίων δῶκαν ἀνακτορίην.
Ἑλλάδος ὀλλυμένης δ' ὡς εἴξαμεν ὀτμανίδαισιν,
Ἔμπαλιν ἐς πατρίην ἤλθομεν οἰνοτρίην.
Καὶ τότ' ἐγὼ νεότητι καὶ εὐγενίῃ ἐρατεινῇ
Πείσωνος, εὐνοίην Καίσαρος ἐφρασάμην.

Καί

Καί με λόγων ῥητῆρ᾽, ἔργων πρηκτῆρα προέχοντ
πᾶσαν ἐπ᾽ εὐρώπην καί ζωοὶ καὶ νέποσι.
Πρὸς δὲ τῶν δυσσεβέων ὀλέθρῳ μεγάλοις βασιλεῦσι.
Σπουδαμένοις πονέων τῇδ᾽ ἔλαχον λιπερέων.

ΕΙ͂Σ ΛΥ͂ΚΟΝ ἘΝΕΔΡΕΥ͂ΟΝ-
τα ταῖς ὁδοῖς.

Αἰνόλυκος σαρκῶν τε καὶ αἵματος ἀνδρομένοιο
ἱμείρων, λαύρης ἧστο παρὲξ σκοπέων,
Εἴ τινα θοινήσαιτο διερχόμενον προδίτην.
Ὡς δ᾽ ἴδεν ὅπλα φέροντ᾽ οὐκ ἔθιγ᾽ ἀντιμάχου.
Εὖτε δ᾽ ἀπῆν σταδίων δρόμον εἴκοσιν, ὥστε θ᾽ ἑταίρῳ
Ἀντίμαχος, τὸν καὶ θηρὸς ἔλεξε λόχον.
Καί μιν τοῖς ὅπλοισιν ἐφώπλισε, τῶν μὲν ὑπαλύξαι
Οἰόμενος. τὰ δ᾽ ἰδών, γυμνὸν ἐόντα λύκος
Φράσσατο, φεῦ, θὴρ ὤν, καὶ ἤλασεν αἶψα διώκων
Ἀντίμαχον, μάρψας τ᾽ ὤλεσ᾽ ὀδυρόμενον.
Οὕνεκεν ἄλλον ἔσωσ᾽, αὐτῷ δ᾽ οὐκ ἔσχ᾽ ἐπαμῦναι.
Ἐσθλῶν δ᾽ ἐξ ἔργων λυγρὸν ἔδεκτο μόρον.

ΕΙ͂Σ ΠΈΠΛΟΝ ἈΝΘΟ-
κρόκοις σειραῖς πεποικιλμένον.

Ἑλλαδικῆς χερὸς ἀσκητὸν πέπλον, ἔργον ἀθύρμης
Λευκετίης βασιλεῦ δεξάμενος πρόβιθον.
Ἦν γάρ τι σέο χρωτὸς ἐφάψομαι, ὡς ἀειαδῆνης
Κόσμος, τοῖος ἐών, λάμψω ἐπουράνιος.

ΕἸΣ ἸΩΆΝΝΗΝ ΤῸΝ

ἐκ Μεδίκων.

Ἰωάννης μεδίκης ἐναλίγκιος εἶδος ἀχιλλεῖ,
Καὶ κλέος ἐκ πολέμων ἶσον ἐνεγκάμενος,
Τοὔθον᾽ ἐπειγόμενον θεῖναι ζυγὸν αὐχένι ῥώμης,
Εἴργων αὐσονίης κάτθανε τηλεβόλῳ.
Οὐδὲ γὰρ ἐν σταδίῃ γ᾽ εἶξ᾽ αὔτινι, κ᾽ οὔτ᾽ ἔτι δαίμων
Κείνου σωζομένου πήματ᾽ ἔνειμ᾽ ἰταλοῖς.

ΕἸΣ ΦΟΝΔΟΥ͂ΛΟΝ

τὸν ἑταῖρον.

Λευκετίην φονδοῦλε φίλην καὶ ἤθε᾽ ἑταίρων
Πῶς ἔλιπες ποθεινήν, ἢ πόθεν ὧδε πάρει,
Πεύθεαι ἀνδραγαθίην. πῶς δ᾽ οὐ μόνος, ἧς κλέος εὐρὺ
Εὐγενίης, σοφίης, ἤθεος, ἀγλαΐης.
Ἔστι καὶ ἐκ μουσέων κάρχος, ξείνοισι τ᾽ ἐπίζωγός.
Τῷ μεταπεμψαμένη ξεινισέ μ᾽ ἐν μεγάροις.
Νῦν δὲ σέ τ᾽ ὀψόμενος γ᾽ ἥκω καὶ πάντας ἑταίρους.
Χαίρετε. χαῖρε σύ τ᾽ αὖ, χ᾽ ἡ σ᾽ ὑποδεξαμένη.

ΕἸΣ ΒΑΣΙΛΕΙ͂Σ ΚΥΝΗ-

γεσίοις χολάζοντας.

Εἶπε δ᾽ ἐπακτῆρας κρείσσους μεγάλων βασιλήων.
Εἶπον ἀληθείην, εἰ βασιλεῖς μεγάλοι
Ἔργον ἐπακτήρων μεθέπειν αὐτοὶ μεμάασιν
Ἄλλοις ἀτμενίην δόντες ἀνακτορίης.

ΕἸΣ

ΕΙ'Σ ΤΥ'ΧΗΝ ΚΑῚ

ἀρετήν.

Εὐτεβίᾳ κρατερὸν βασιλῆ' ὀλέκοντα φάλαγγας
Σφῆλε τύχα προπετὴς, νίκησε τὰν ἀρετάν.
Οὗτος ἀγὼν ὁπόσον προφερέστερον ἔπλετο κάρτος
Τὸ μὸν, ἀπαγγέλλει πᾶσιν ἐπιχθονίοις.
Ταὶ δ' ἀρετὰ προσέφην ὑπέξαμεν, ὄφρα γένοιτο
Δῆλον ἀτειρέων ἐμοῦ σὰ χάρις, ὡς ἄχαρις.
Μείζονα σῷ τροφίμῳ μὴ γάρ ποτε δῶρα πορίσαις,
Τοῖον ἐμὸν τρόφιμον πρῶτα χαρισαμένα.
Ἀλλ' ὅτ' ἄμοιρος ἐμοῦ ὑπεδέξατο θεῖον ἄνακτα,
Σὰ χάρις οἱ μεγάλαν εὕρατο δυσκλείαν.

ΤΕ΄ΛΟΣ.

ΙΑΝΙ

IANI LASCARIS RHYNDACENI EPIGRAMMATA.

IN AMOREM.

SAEVVS *amor terris dominatur,*
& imperat alto
Aethere: sic homines, sic domat ille deos.

È GRAECO.

Q *Vis puerū Veneris statuit prope fluminis haustus?*
Prouidus: hanc flammam scilicet unda premet.

È GRAECO.

P *Aruula ne temnas: paruis nam gratia iuncta est.*
Paruulus & Paphiæ filius ales Amor.

AD PONTANVM Poëtam.

V *Ersiculos Pontane tibi: sic munera Baccho*
Libamus Bacchi, sic Cereris Cereri.

IN LVCIVM MAledicum.

L *Vci summa rubes, luxata ast ima uolutas,*
Dum graderis: uulpem denotat ille color.

Anguis & hi gressus. mirum quod tetra uenena
Infundens fallas, signa maligna gerens.

DE RELIGIONE.

NOmine presbyteri uix est ueneratius ullum,
Suauius & fratris, ducit utrunq; notam.
Religio quantum profecerit, indicat ipsa,
Nomina si laudis uertit in opprobrium.

CHRISTVS LOQVITVR.

HVmor aquæ & sanguis fluxit de uulnere nostro,
Dum fontem meditor uitæ aperire Deus.
Nunc auri fontes passim de uulnere nostro
Sacrilegi exantlant: uulnera quanta dabunt.

AD VENEREM.

ALma Venus Paphiæ, Cypris, Cytherea (columbas
Nam tibi cum pomis sacra Erycina ferunt)
Nidorem uolucrum permixtum rite liquori
Accipe, pomorum mystica quo docear.
Aurea quot punctis hærentia sustinet arbor,
Apsidas cortex tot tegit humidulas.

IN VALERIVM VICENTINVM.

SI Maro uidisset uiuos te ducere uultus,
Hoc Valeri ille alijs non tribuisset opus.

IN DIVAE ANNAE IMAginem inchoatam.

NE ueterum celebres uincas exacta tabellas
Anna, tuus pictor Vincius ille obijt.

At mage quàm Venerem, quam non absoluit Apelles,
Te mirata colet sedula posteritas.

IN TONSOREM
Curucam.

DVm stabulum repetunt hirci, tonsoris in ædes,
Vxorem hospitibus prostituentis eunt.
Ille ait, hinc propere discedite, non ego barbas
Hircorum sueui radere, uerum hominum.
Dux huic egregius, non nos deponere barbas:
Cornua ut ostentes est operæprecium.

IN FIRMVM IN-
solentem.

FIrme ego sim qualem tu te eße putas, qualisq; es:
Hostibus eueniat talibus esse meis.

ἌΔΗΛΟΝ DE QVODAM
Pontifice.

PAtria cui Genua est, genitricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit, qui bonus esse potest?
Sunt uani Ligures, mendax est Græcia, ponto
Nulla fides, malus est hæc tria quisquis habet.

LASCARIS.

ESt Venus orta mari, Graium sapientia, solers
Ingenium est Ligurum: quî malus esse potest,
Cui genus ut Veneri, à Graijs sapientia, solers
Ingenium à Genua est? Mome protere tace.

È GRAECO.

INteremit crepitus uentris, detentus in aluo:
Et seruat, blæsum dum canit ille melos.
Ergo si perimit crepitus, seruatq; canendo:
Regibus imperium par habet hic crepitus.

IN VIRGILIVM
Maronem.

IN gentem inueheris, spernis præcepta magistri
Parthenia: nullum deprimit ille genus,
Ne insonteis lædat generis. tu, Crimine ab uno
Discite, ais, Danaos: quod nihil ad Libyas.
Præterea, à multis qualis nam inducimus unus:
Ex uno cunctos discere nos docet hic.
Tyrrhenos, Ligures perstringit: parcere cuiquam
Nescit: me Harpocratem quilibet esse iubet.
Cum laruis certas: defuncto parce, reclamant:
Respondere nequit: lex uetat esse reum.
Aio, sed in scriptis nos eleuat. illa supersunt
Ingrati indicium, degenerisq; animi.

IN EVNDEM.

PAscua, & arma parum: multum tribuere Maroni
Arua, quod auspicijs tot colit illa deûm.

IN CICERONEM AD
Domitium.

IN Graios, Domiti, miraris scripta Maronis
Qui memorem, cur non de Cicerone querar.

Qui gentem toties, mores, linguamq; laceſſat
Graiugenum: uerbis nec modus ullus ineſt.
Nil mirum: liuor uatis nos aggrauat. alter
Nos premit, ut libuitq; euehit ad ſuperos.
ῥόσκιον haud aliter diuum donum inſit, & artem
Damnat, quæ à Muſis nobile nomen habet.
Hinc inde, hic illic ſedet is, reſidetq;, uagatur:
Ardelio, conſul ridiculus, leuis eſt.

IN EVNDEM.

SVmpta quæ ab Aegypto meliora ut reddita Graijs
Inquit Ariſtocles, Pſitace & ipſe refers.
Scilicet in Græcis Cicero feciſſe, nec audis
Quàm Iouis ales aui differat à corydo.

IN EVNDEM.

COmbibia ut Graij, primum: conuiuia deinde
Dixiſtis, Cicero, iudice te melius.
Ac ſi nulla uirûm uita, non ulla uoluptas
Sit, niſi quando epulis combibijsq; uacent.

DE LVCETIA.

LVtetíæ nomen cœnum non fecit: ab albo
Leucetiam, ut leucam, nomen habere puto.

IN CAROLVM REGEM
Franciæ.

HIc Carolum Titan, ne ſe properantius orbem
Ambiret uictor, condidit ante diem.

IN MARVLLVM Poëtam.

CEcina uorticibus rapidis uorat ecce Marullum,
Lucifer exclamat: Sol preperanter adi,
Eripe, ut eripuit Peliden Mulciber undis
Immeritum Iliacis, nos canit iste Deos.
Sol properat (sed quanta hominis uitæ mora, si uis
Vrgeat?) extincto, sol fluuium increpitat.
Ille ait: at celebrans uiuus tua numina, nostrum
Subticuit: mersi, mortuus ut celebret.
Et tu Dædalidem, Hellen fretum, & Albula Tibrim.
Tum sol: Cecina dehinc ergo Marullus eris.
Victa capit sic nomen aqua: & quem Græcia uatem
Concessit latio, Thuscia flumen habet.

IN MVSVRVM.

MVsurum terris misit suadente Prometheo
Iuppiter, effatus: redde hominum generi
Munera Pieridum, iam scripta insulsa facessant.
I, legis Themidos sed rediture memor.
Paret, & adlapsus referensq; inuenta priorum,
Musis & Suadam miscuit & Charitas.
Terrigenæ hæc prohibent, Hyles qui regna tuentur:
Et iuuenem illecebris in sua uota trahunt.
At pater hunc miserans reuocatq;, & fonte refundit
Nec dum pollutam charam animam, à quo abijt.

IN

IN IMAGINEM CANDALLAE, quæ nupsit Regi Hungariæ.

Exacta archetypo, domini quod mente Cupido
Finxerat, auellor iam gremio effigies:
Heu sortem, & queruli gratum solamen amoris,
Index coniugium mittor in alterius.
Arsissem melius: conantem flamma refugit,
Et uetuit lachrymis qui madefecit amans.

AD REGEM GALLOrum Franciscum.

Te pie Rex, nemorum cultrix Latonia Phœbe,
Da quandoq; feris, da precor, inducias.
Ne Iuno & Pallas tecum pulcherrime rerum,
Colloquia, ut quondam Latmia, mi obijciant.

PROSOPOPOEIA. PONS loquitur.

Clotaldi ad pontem clamabat, Sistite gressum
Magnanimi Reges, prisca superstitio.
Sistebant pauidi, & credebant corpora cymbæ,
Ponti non ausi credere marmoreo.
Quid memorem causam, quæ impingat turpia genti,
Nec credenda pijs pacta mali genij?
Quin potius referam, quod non auerterit à me
Franciscus faciem, transtulerítq; gradum.
Quod tulerim pondus, quo non præstantius ullum
Terra tulit, ualeat fœda superstitio.

Quod mihi se Regem dederit, qui Rege carebam.
An qui me timuit, Rex meus ille fuit?
Sequana ne insultes: sum regius. ede uiator,
(Murmura nam proceres prætereunte dabant)
Num pius, an sapiens, an fortis talibus ausis
Rex meus est? Rex est. & uale, abi incolumis.

IN TABELLAM HABI tabilis oblatam Regi.

HIc se terrarum & pelagi diffundit imago,
Orbem uno intuitu conspiciuntq; oculi.
Indicat hæc facies orbis, Rex, peruia regna
Iustitiæ, atq; armis cuncta patere tuis.

AD REGEM.

QVod Cyprio regi cecinit melos Attica Siren
Suaue, decens, lepidum, Celtica lingua refert.
Indicium pie Rex, quàm sint modulamina Graium
Digna, ut letheis eripiantur aquis.

AD REGEM DE IMAGI ne ei oblata.

DIuitius pie Rex ipsam tibi tradit Elisam.
Vt Paris, idolum nam Raymundus habet.

RESPONSIO.

HAnc tamen ut Proteus tantum seruamus: at illam
Vt Paris, idolum, sic Raymundus habet.

IN OBITVM DIVITII, Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

DIuitius, coleret ne quis quem purpura uestit
Præsul amicitiæ iura colenda, obijt.

IN COSMVM ORICELLARIUM.

NOn genus & patrui tam clari candide Cosme
Prosunt: heu iuuenem te Libithina rapit.
Nam Venus Aeneæ præconem carmine uinci
Dum cauet, ad Thuscos te trahit inde sonos.
Verum ubi in his etiam uincis, quem Laura poëtam
Torserat, indoluit filius alter Amor.
Atq; ait, obscurat nostrum hic cum laude triumphum.
Qui leget hæc, titulos despicietq; meos.
Nec iuuenum curas tantum, grauiora solutis
Rhythmis, & patria personat ille tuba.
Nulla cothurnato uati dum gratia mecum est:
Huic tamen & tetricis gratia parta modis.
Sic amet ut pereat, nec differt feruidus iram:
Tabe graui & patruis te abstulit, & patriæ.

AD REGEM ARMA offerentis.

QVæ latus & dextrã caua parma & curua bipennis
Armarant, Pharij principis arma trucis,

Signa uides: sacrum calycem, floremq́; superne.
Nominaq́; in notulis hostica agenoreis.
Lascaris hæc gessit, patriæq́; inferre parabat
Hostibus, auspicijs inclyte Galle tuis.
Fata obstant, Francisce tuis sors inuida cœptis
Quæsitum in Turcos abnuit imperium.
More igitur ueterum, iam spe defectus & annis
(Sic illi Marti) dedicat arma tibi:
Ocia musarum repetens, Rex optime, Graijs
Quæ tu munificus mollia grata facis.

AD CAROLVM
Capellum.

ME Graia ut celebres Graium, Latiaq́; camœna:
Te ut celebrem Ausonium, par referamq́; pari:
Imparem habet laudem. quoniam tua scripta manebunt
Aeternùm Carole, & nox premet alta mea.

IN CONVENTVM
Regum.

NVm Martis castra, an Veneris tentoria fulgent
Argento atq; auro? ast ære micant proceres.
Et Marti grata & Veneri: Venus aurea, ferrum
Mars amat, in precio est tempore quodq; suo.
Littora ad Oceani summi cum coniuge uterq;
Conueniunt reges, regia tecta uides.
Conueniant alacres ad publica commoda: Turci
Europæ excedent finibus, atq; Asiæ.

Eximij

Eximij heroum, Ledeæ ut sidera nautæ,
Vos seruatores terra fretumq; colent.

IN PONTIFICES
diffidentes.

IN se diuisum regnum quodcunq; peribit:
In se diuiditur pontificum, ut pereat.

DE ITALIA.

IAm pecudes pepulere canes, galliq; facessunt:
Italia est rabidis præda relicta lupis.

IN PROPERTIVM.

NEscio quid maius fassus nescire Properti,
Cedite reclamas, cædier es meritus.

IN MALVM CON-
sultorem.

INfaustum memorant aurum per stagna Tolosæ,
Seiani & sonipes, quàm fuerit dominis.
Tertius accedis, nec sors te ignara coëgit
Infaustum dominis, consilia ut rabida.

IN THOMAM LINACRVM.
Galeni interpretem.

OMnigenos Pæan suetum te pellere morbos
In Latio, & Diti subtrahere arte animas,
Desidem ubi & bardum uidit facunde Galene,
Posthabitumq; alijs, quos memorare piget:
Dixit, prospiciens populis, Age mysta Linacre
Redde uirum ingratis quamlibet Ausonijs,

Tam

Tam ſibi quàm proauis, qui dogmata priſca relinquunt,
Tricisq́; inuoluunt ingenia, & tenebris.
Hæc deus. at Thaumas afflatus numine talem
Te uertit, qualem Græcia culta tulit.

AD SVMMVM PONTIficem Leonem.

NOn minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri:
Peligni uatis concinit ore dea.
Gloria & obſequium Graium Leo maxime parta
Iam tibi, uirtutem dum reparas generis.
Hæc tueare precor, mitisq́; alimenta Mineruæ
Ne patiare uorax glubat Enyalius.
Sic ô ſic iunctis regum Latijsq́; cateruis,
Turcorum rabiem Pannonia eijcias.
Auſpicijsq́; tuis Byzantis regia, pulſis
Hoſtibus, imperijs pareat uſq́; pijs.

IN PRINCIPES Chriſtianos.

HEu minor eſt canibus rabies, ſapientia maior
Quàm tua, quàm regum, maxime pontificum.
Nempe illi ſeſe ut lacerent, ubi uerius hoſtem
Videre, unanimes mox petiere lupum.
Pro deus at, regesq́; pij, fera bellua natos
Dum uorat, & fratrem, ſe lacerare parant.
Nec tamen hi lacerant ſeſe, plectuntur Achiui
Hac rabie. ô deus, ô, ô deus hos pateris.

IN SVMMVM PONTIficem Leonem.

Corrupere probos, uetus est sententia, mores
Improba colloquia, & praua sodalitia.
Pontificum summus, pietas quem prisca, fidesq;,
Quem mite à pueris ingenium extulerat:
Præbet ubi infaustis aures, indulsit iniquis
Arma, gregis pastor queis minuebat oues.
Ergo ubi se lapsum & facinus procedere sensit,
Languet, & ingeminans, heu quid ago, interijt.

IN FEDERICVM.

Zenonis tetrici sequeris Federice loquendo
Dogma: Neocliden quicquid agis, redolet.

IN ADRIANVM SVMmum Pontificem.

Iuppiter ut comiti fluctus calcare profundi
Cui dederat Romæ præficeret similem:
Torsit ab Ausonia faciem: respexit ad arcton,
Ad uetus Astrææ uirginis hospitium.
Atq; inter Cimbrosq;, & Agauos lacte madentes,
Conspicuo excelsi ius tribuit solij.
Prudens simplicitas placuit: iam uindice pacis
Pontifice in Turcos uertite tela pij.
His par auspicijs regnum defendier, hostis
Quod uorat, ut reliquis exitio immineat.

AD EVNDEM.

FElix, cui data sunt absenti uota Senatus
Pontificum, Princeps pontificum ut fieres.

RESPONSIO.

QVin imò infelix, placui qui tot miserandis:
Si Deus ad similem semper agit similem.

IN MARCVM ANTONIUM Columnam.

MArce trium de te lis magna exorta deorum est.
Mars ait: intrepidum quod facio, hic meus est.
Vendicat Alcides: inuictum reddere, clamans,
Quem potui, possum dicere iure meum.
In duce consilium: non hoc præstantior alter
Consilio, meus est, cedite, Pallas ait.
Cana Fides aderat, dextramq; iniecit, & infit:
Vt fiet hic uester, me colit usq; suam.

IN EIVS MORTEM.

NEmpe uiri perijt uirtus, imitabile fulmen.
Molem adigi edocuit fulminis instar homo.
Nec Deus hunc potuit quisquam detrudere ad umbras,
Fortibus exitium dum parat arte noua.
Heu miles nullus, nec te præstantior ullus
Dux fuit Antoni, sed procul ictus obis.
Nec conferre manum licuit, nec cernere quis te
Perderet: & uirtus cura deûm ulla hominis?

AD

AD ANTONIVM
Adornum.

QVod sit terdenis nec dum tribus inclyte ab annis
Dux Genuæ ereptus frater Adorne tibi,
Mœres: fraterno cineri superesse recusas,
Ni uitam matri, quam dedit illa, adimas.
Et, iuuenem (ingeminas) iuuenem mors abstulit, illi
Ingenio nullus par fuit, atq; animo.
Nec tibi uel Babylon, uel Tigris fata dedisse
Vitæ his ingenijs suggerit hoc spacium.

IN ELECTIONEM PON
tificis Adriani.

QVis neget Italiam paßim uirtutis egenam?
Axe quæ ab egelido sponte petit dominum.
O Marij, ô Catuli furijs agitate nepotes:
Romulidæ Cimbros ante tulere sibi.
Queis q; cadaueribus uos terram, indigna propago
Ius cœli & terræ, ius dedit ipsa sui.

IN OBITVM FRANCI-
sci Rubri.

QVis pompa effertur, quantam nec principis ullam
Vidimus? huic princeps ductor adest Venetum.
Francorum regis legatus. Num Ruber ille?
Ille est, insignis nobilitate, fide.
Quàm procul à patria tumulatur: non procul est qui
Armoricus. Veneti sunt quoq; ab Armoricis.

DE GVLIELMO BVdæo, Gallo.

AVgusti ut Varro, Francisci bibliothecam
Auget Budæus, Palladis auspicijs.
Nam docti pariter: iudex hic æquior illo est:
Qui uoces Graijs reddit, at ille adimit.

IN HOMEROMAstiga.

EDucet ut uatem, fontem Mela polluit, à quo
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

AD PAVLVM Sodalem.

TAm mihi Celtigenæ munuscula grata puellæ,
Quàm fuit Hypsipyles Aesonidæ hospitium.
Scilicet inuitat nos ocimon ocyus ire,
Ad fructus Veneris, nectis inepte moras.

IN LIBELLVM BESSArionis contra Græcos.

INsertus Graijs in Graios spicula torquet
Bessus, proditio hæc ambitionis opus.

AD ROMAM.

MAgnus ab eois, aquilonis maior ab oris
Hostis in exitium Roma tuum properat.
Isq; adimit quæstumq; & religionis honorem.
Intentat ferrum perfida turba, caue.

AD

AD REGEM.

QVestus eram, nimium de te licuisse prophanis,
Rex pie: damnaram fata inimica, deos.
Siccine uos tangit pietas? hæc præmia macti
Relligione ferunt? deteriora uigent?
Siccine uirtutes, queis non præstantior alter
Rex fuit, ingrati destituistis heri?
Talia iactaram, per noctem uisus adesse
Interpres diuum, talibus admonuit:
Dolia bina Iouis recolas, & uota Philippi:
Deuoluunt parcæ noxia iuncta bonis.
Ergo bona herois fortuna immensa rependens,
Hoc sibi uisa leue est retribuisse malum.

DE EODEM SANANTE infirmos in Hispania.

ERgo manu admota sanat Rex choeradas, estq;
Captiuus superis gratus, ut ante fuit.
Indicio tali regum sanctissime qui te
Arcent, inuisos suspicor esse deis.

EPIGRAMMATVM IANI LASCARIS.
FINIS.

È GRAECO.

INteremit crepitus uentris, detentus in aluo:
Et seruat, blæsum dum canit ille melos.
Ergo si perimit crepitus, seruatq; canendo:
Regibus imperium par habet hic crepitus.

IN VIRGILIVM
Maronem.

IN gentem inueheris, spernis præcepta magistri
Parthenia: nullum deprimit ille genus,
Ne insonteis lædat generis. tu, Crimine ab uno
Discite, ais, Danaos: quod nihil ad Libyas.
Præterea, à multis qualis nam inducimus unus:
Ex uno cunctos discere nos docet hic.
Tyrrhenos, Ligures perstringit: parcere cuiquam
Nescit: me Harpocratem quilibet esse iubet.
Cum laruis certas: defuncto parce, reclamant:
Respondere nequit: lex uetat esse reum.
Aio, sed in scriptis nos eleuat. illa supersunt
Ingrati indicium, degenerisq; animi.

IN EVNDEM.

PAscua, & arma parum: multum tribuere Maroni
Arua, quod auspicijs tot colit illa deûm.

IN CICERONEM AD
Domitium.

IN Graios, Domiti, miraris scripta Maronis
Qui memorem, cur non de Cicerone querar.

Qui gentem toties, mores, linguamq́; lacessat
Graiugenum: uerbis nec modus ullus inest.
Nil mirum: liuor uatis nos aggrauat. alter
Nos premit, ut libuitq́; euehit ad superos.
Ῥόσκιον haud aliter diuum donum infit, & artem
Damnat, quæ à Musis nobile nomen habet.
Hinc inde, hic illic sedet is, residetq́;, uagatur:
Ardelio, consul ridiculus, leuis est.

IN EVNDEM.

Svmpta quæ ab Aegypto meliora ut reddita Graijs
Inquit Aristocles, Psitace & ipse refers.
Scilicet in Græcis Cicero fecisse, nec audis
Quàm Iouis ales aui differat à corydo.

IN EVNDEM.

Combibia ut Graij, primum: conuiuia deinde
Dixistis, Cicero, iudice te melius.
Ac si nulla uirûm uita, non ulla uoluptas
Sit, nisi quando epulis combibijsq́; uacent.

DE LVCETIA.

Lvtetiæ nomen cœnum non fecit: ab albo
Leucetiam, ut leucam, nomen habere puto.

IN CAROLVM REGEM Franciæ.

Hic Carolum Titan, ne se properantius orbem
Ambiret uictor, condidit ante diem.

IN MARVLLVM Poëtam.

CEcina uorticibus rapidis uorat ecce Marullum,
Lucifer exclamat: Sol properanter adi,
Eripe, ut eripuit Peliden Mulciber undis
Immeritum Iliacis, nos canit iste Deos.
Sol properat (sed quanta hominis uitæ mora, si uis
Vrgeat?) extincto, sol fluuium increpitat.
Ille ait: at celebrans uiuus tua numina, nostrum
Subticuit: mersi, mortuus ut celebret.
Et tu Dædalidem, Hellen fretum, & Albula Tibrim.
Tum sol: Cecina dehinc ergo Marullus eris.
Victa capit sic nomen aqua: & quem Græcia uatem
Concessit latio, Thuscia flumen habet.

IN MVSVRVM.

MVsurum terris misit suadente Prometheo
Iuppiter, effatus: redde hominum generi
Munera Pieridum, iam scripta insulsa facessant.
I, legis Themidos sed rediture memor.
Paret, & adlapsus referensq; inuenta priorum,
Musis & Suadam miscuit & Charitas.
Terrigenæ hæc prohibent, Hyles qui regna tuentur:
Et iuuenem illecebris in sua uota trahunt.
At pater hunc miserans reuocatq;, & fonte refundit
Nec dum pollutam charam animam, à quo abijt.

IN IMAGINEM CANDALLAE, quæ nupsit Regi Hungariæ.

EXacta archetypo, domini quod mente Cupido
Finxerat, auellor iam gremio effigies:
Heu sortem, & queruli gratum solamen amoris,
Index coniugium mittor in alterius.
Arsissem melius: conantem flamma refugit,
Et uetuit lachrymis qui madefecit amans.

AD REGEM GALLOrum Franciscum.

TE pie Rex, nemorum cultrix Latonia Phœbe,
Da quandoq; feris, da precor, inducias.
Ne Iuno & Pallas tecum pulcherrime rerum,
Colloquia, ut quondam Latmia, mi obijciant.

PROSOPOPOEIA. PONS loquitur.

CLotaldi ad pontem clamabat, Sistite gressum
Magnanimi Reges, prisca superstitio.
Sistebant pauidi, & credebant corpora cymbæ,
Ponti non ausi credere marmoreo.
Quid memorem causam, quæ impingat turpia genti,
Nec credenda pijs pacta mali genij?
Quin potius referam, quod non auerterit à me
Franciscus faciem, transtuleritq; gradum.
Quod tulerim pondus, quo non præstantius ullum
Terra tulit, ualeat fœda superstitio.

Quod mihi se Regem dederit, qui Rege carebam.
An qui me timuit, Rex meus ille fuit?
Sequana ne insultes: sum regius. edc uiator,
(Murmura nam proceres prætereunte dabant)
Num pius, an sapiens, an fortis talibus ausis
Rex meus est? Rex est. & uale, abi incolumis.

IN TABELLAM HABI tabilis oblatam Regi.

HIc se terrarum & pelagi diffundit imago,
Orbem uno intuitu conspiciuntq; oculi.
Indicat hæc facies orbis, Rex, peruia regna
Iustitiæ, atq; armis cuncta patere tuis.

AD REGEM.

QVod Cyprio regi cecinit melos Attica Siren
Suaue, decens, lepidum, Celtica lingua refert.
Indicium pie Rex, quàm sint modulamina Graium
Digna, ut letheis eripiantur aquis.

AD REGEM DE IMAGI ne ei oblata.

DIuitius pie Rex ipsam tibi tradit Elisam.
Vt Paris, idolum nam Raymundus habet.

RESPONSIO.

HAnc tamen ut Proteus tantum seruamus: at illam
Vt Paris, idolum, sic Raymundus habet.

IN

IN OBITVM DIVITII, Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

DIuitius, coleret ne quis quem purpura uestit
Præsul amicitiæ iura colenda, obijt.

IN COSMVM ORICELLARIUM.

NOn genus & patrui tam clari candide Cosme
Prosunt: heu iuuenem te Libithina rapit.
Nam Venus Aeneæ præconem carmine uinci
Dum cauet, ad Thuscos te trahit inde sonos.
Verum ubi in his etiam uincis, quem Laura poëtam
Torserat, indoluit filius alter Amor.
Atq; ait, obscurat nostrum hic cum laude triumphum.
Qui leget hæc, titulos despicietq; meos.
Nec iuuenum curas tantum, grauiora solutis
Rhythmis, & patria personat ille tuba.
Nulla cothurnato uati dum gratia mecum est:
Huic tamen & tetricis gratia parta modis.
Sic amet ut pereat, nec differt feruidus iram:
Tabe graui & patruis te abstulit, & patriæ.

AD REGEM ARMA offerentis.

QVæ latus & dextrã caua parma & curua bipennis
Armarant, Pharij principis arma trucis,

Eximij heroum, Ledea ut sidera nautæ,
Vos seruatores terra fretumq; colent.

IN PONTIFICES
dissidentes.

IN se diuisum regnum quodcunq; peribit:
In se diuiditur pontificum, ut pereat.

DE ITALIA.

IAm pecudes pepulere canes, galliq; facessunt:
Italia est rabidis præda relicta lupis.

IN PROPERTIVM.

NEscio quid maius fassus nescire Properti,
Cedite reclamas, cædicr es meritus.

IN MALVM CON-
sultorem.

INfaustum memorant aurum per stagna Tolosæ,
Seiani & sonipes, quàm fuerit dominis.
Tertius accedis, nec sors te ignara coëgit
Infaustum dominis, consilia ut rabida.

IN THOMAM LINACRVM,
Galeni interpretem.

OMnigenos Pæan suetum te pellere morbos
In Latio, & Diti subtrahere arte animas,
Desidem ubi & bardum uidit facunde Galene,
Posthabitumq; alijs, quos memorare piget:
Dixit, prospiciens populis, Age myste Linacre
Redde uirum ingratis quamlibet Ausonijs,

Tam sibi quàm proauis, qui dogmata prisca relinquunt,
Tricisq́; inuoluunt ingenia, & tenebris.
Hæc deus. at Thaumas afflatus numine talem
Te uertit, qualem Græcia culta tulit.

AD SVMMVM PONTIficem Leonem.

NOn minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri:
Peligni uatis concinit ore dea.
Gloria & obsequium Graium Leo maxime parta
Iam tibi, uirtutem dum reparas generis.
Hæc tueare precor, mitisq́; alimenta Mineruæ
Ne patiare uorax glubat Enyalius.
Sic ô sic iunctis regum Latijsq́; cateruis,
Turcorum rabiem Pannonia eijcias.
Auspicijsq́; tuis Byzantis regia, pulsis
Hostibus, imperijs pareat usq́; pijs.

IN PRINCIPES Christianos.

HEu minor est canibus rabies, sapientia maior
Quàm tua, quàm regum, maxime pontificum.
Nempe illi sese ut lacerent, ubi uerius hostem
Videre, unanimes mox petiere lupum.
Prodeus at, regesq́; pij, fera bellua natos
Dum uorat, & fratrem, se lacerare parant.
Nec tamen hi lacerant sese, plectuntur Achiui
Hac rabie. ô deus, ô, ô deus hos pateris.

IN SVMMVM PONTI-
ficem Leonem.

COrrupere probos, uetus est sententia, mores
Improba colloquia, & praua sodalitia.
Pontificum summus, pietas quem prisca, fidesq;,
Quem mite à pueris ingenium extulerat:
Præbet ubi infaustis aures, indulsit iniquis
Arma, gregis pastor queis minuebat oues.
Ergo ubi se lapsum & facinus procedere sensit,
Languet, & ingeminans, heu quid ago, interijt.

IN FEDERICVM.

ZEnonis tetrici sequeris Federice loquendo
Dogma: Neocliden quicquid agis, redolet.

IN ADRIANVM SVM-
mum Pontificem.

IVppiter ut comiti fluctus calcare profundi
Cui dederat Romæ præficeret similem:
Torsit ab Ausonia faciem: respexit ad arcton,
Ad uetus Astrææ uirginis hospitium.
Atq; inter Cimbrosq;, & Agauos lacte madentes,
Conspicuo excelsi ius tribuit solij.
Prudens simplicitas placuit: iam uindice pacis
Pontifice in Turcos uertite tela pij.
His par auspicijs regnum defendier, hostis
Quod uorat, ut reliquis exitio immineat.

AD EVNDEM.

FElix, cui data sunt absenti uota Senatus
Pontificum, Princeps pontificum ut fieres.

RESPONSIO.

QVin imò infelix, placui qui tot miserandis:
Si Deus ad similem semper agit similem.

IN MARCVM ANTONIUM Columnam.

MArce trium de te lis magna exorta deorum est.
Mars ait: intrepidum quod facio, hic meus est.
Vendicat Alcides: inuictum reddere, clamans,
Quem potui, possum dicere iure meum.
In duce consilium: non hoc præstantior alter
Consilio, meus est, cedite, Pallas ait.
Cana Fides aderat, dextramq; iniecit, & infit:
Vt fiet hic uester, me colit usq; suam.

IN EIVS MORtem.

NEmpe uiri perijt uirtus, imitabile fulmen.
Molem adigi edocuit fulminis instar homo.
Nec Deus hunc potuit quisquam detrudere ad umbras,
Fortibus exitium dum parat arte noua.
Heu miles nullus, nec te præstantior ullus
Dux fuit Antoni, sed procul ictus obis.
Nec conferre manum licuit, nec cernere quis te
Perderet: & uirtus cura deûm ulla hominis!

AD

AD ANTONIVM
Adornum.

QVod sit terdenis nec dum tribus inclyte ab annis
Dux Genuæ ereptus frater Adorne tibi,
Mœres: fraterno cineri superesse recusas,
Ni uitam matri, quam dedit illa, adimas.
Et, iuuenem (ingeminas) iuuenem mors abstulit, illi
Ingenio nullus par fuit, atq; animo.
Nec tibi uel Babylon, uel Tigris fata dedisse
Vitæ his ingenijs suggerit hoc spacium.

IN ELECTIONEM PON
tificis Adriani.

QVis neget Italiam paßim uirtutis egenam?
Axe quæ ab egelido sponte petit dominum.
O Marij, ô Catuli furijs agitate nepotes:
Romulidæ Cimbros ante tulere sibi.
Queis q; cadaueribus uos terram, indigna propago
Ius cœli & terræ, ius dedit ipsa sui.

IN OBITVM FRANCI-
sci Rubri.

QVis pompa effertur, quantam nec principis ullam
Vidimus? huic princeps ductor adest Venetum.
Francorum regis legatus. Num Ruber ille?
Ille est, insignis nobilitate, fide.
Quàm procul à patria tumulatur: non procul est qui
Armoricus. Veneti sunt quoq; ab Armoricis.

DE GVLIELMO BVdæo, Gallo.

AVgusti ut Varro, Francisci bibliothecam
Auget Budæus, Palladis auspicijs.
Nam docti pariter: iudex hic æquior illo est:
Qui uoces Graijs reddit, at ille adimit.

IN HOMEROMAstiga.

EDucet ut uatem, fontem Mela polluit, à quo
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

AD PAVLVM Sodalem.

TAm mihi Celtigenæ munuscula grata puellæ,
Quàm fuit Hypsipyles Aesonidæ hospitium.
Scilicet inuitat nos ocimon ocyus ire,
Ad fructus Veneris, nectis inepte moras.

IN LIBELLVM BESSArionis contra Græcos.

INsertus Graijs in Graios spicula torquet
Bessus, proditio hæc ambitionis opus.

AD ROMAM.

MAgnus ab eois, aquilonis maior ab oris
Hostis in exitium Roma tuum properat.
Isq; adimit quæstumq; & relligionis honorem.
Intentat ferrum perfida turba, caue.

AD REGEM.

QVestus eram, nimium de te licuisse prophanis,
Rex pie: damnaram fata inimica, deos.
Siccine uos tangit pietas? haec praemia macti
Relligione ferunt? deteriora uigent?
Siccine uirtutes, queis non praestantior alter
Rex fuit, ingrati destituistis heri?
Talia iactaram, per noctem uisus adesse
Interpres diuum, talibus admonuit:
Dolia bina Iouis recolas, & uota Philippi:
Deuoluunt parcae noxia iuncta bonis.
Ergo bona herois fortuna immensa rependens,
Hoc sibi uisa leue est retribuisse malum.

DE EODEM SANANTE infirmos in Hispania.

ERgo manu admota sanat Rex choeradas, estq;
Captiuus superis gratus, ut ante fuit.
Indicio tali regum sanctissime qui te
Arcent, inuisos suspicor esse deis.

EPIGRAMMATVM IANI LASCARIS. FINIS.

È GRAECO.

INteremit crepitus uentris, detentus in aluo:
Et seruat, blæsum dum canit ille melos.
Ergo si perimit crepitus, seruatq; canendo:
Regibus imperium par habet hic crepitus.

IN VIRGILIVM
Maronem.

IN gentem inueheris, spernis præcepta magistri
Parthenia: nullum deprimit ille genus,
Ne insonteis lædat generis. tu, Crimine ab uno
Discite, ais, Danaos: quod nihil ad Libyas.
Præterea, à multis qualis nam inducimus unus:
Ex uno cunctos discere nos docet hic.
Tyrrhenos, Ligures perstringit: parcere cuiquam
Nescit: me Harpocratem quilibet esse iubet.
Cum laruis certas: defuncto parce, reclamant:
Respondere nequit: lex uetat esse reum.
Aio, sed in scriptis nos eleuat. illa supersunt
Ingrati indicium, degenerisq; animi.

IN EVNDEM.

PAscua, & arma parum: multum tribuere Maroni
Arua, quod auspicijs tot colit illa deûm.

IN CICERONEM AD
Domitium.

IN Graios, Domiti, miraris scripta Maronis
Qui memorem, cur non de Cicerone querar.

Qui gentem toties,mores,linguamq; lacessat
Graiugenum:uerbis nec modus ullus inest.
Nil mirum:liuor uatis nos aggrauat.alter
Nos premit,ut libuitq; euehit ad superos.
ῥόσκιον haud aliter diuum donum infit,& artem
Damnat,quæ à Musis nobile nomen habet.
Hinc inde,hic illic sedet is,residetq;,uagatur:
Ardelio,consul ridiculus,leuis est.

IN EVNDEM.

SVmpta quæ ab Aegypto meliora ut reddita Graijs
Inquit Aristocles,Psitace & ipse refers.
Scilicet in Græcis Cicero fecisse,nec audis
Quàm Iouis ales aui differat à corydo.

IN EVNDEM.

COmbibia ut Graij, primum:conuiuia deinde
Dixistis, Cicero, iudice te melius.
Ac si nulla uirûm uita,non ulla uoluptas
Sit,nisi quando epulis combibijsq; uacent.

DE LVCETIA.

LVtetiæ nomen cœnum non fecit:ab albo
Leucetiam,ut leucam, nomen habere puto.

IN CAROLVM REGEM
Franciæ.

HIc Carolum Titan, ne se properantius orbem
Ambiret uictor,condidit ante diem.

IN MARVLLVM Poëtam.

CEcina uorticibus rapidis uorat ecce Marullum,
Lucifer exclamat: Sol properanter adi,
Eripe, ut eripuit Peliden Mulciber undis
Immeritum Iliacis, nos canit iste Deos.
Sol properat (sed quanta hominis uitæ mora, si uis
Vrgeat?) extincto, sol fluuium increpitat.
Ille ait: at celebrans uiuus tua numina, nostrum
Subticuit: mersi, mortuus ut celebret.
Et tu Dædalidem, Hellen fretum, & Albula Tibrim.
Tum sol: Cecina dehinc ergo Marullus eris.
Victa capit sic nomen aqua: & quem Græcia uatem
Concessit latio, Thuscia flumen habet.

IN MVSVRVM.

MVsurum terris misit suadente Prometheo
Iuppiter, effatus: redde hominum generi
Munera Pieridum, iam scripta insulsa facessant.
I, legis Themidos sed rediture memor.
Paret, & adlapsus referensq; inuenta priorum,
Musis & Suadam miscuit & Charitas.
Terrigenæ hæc prohibent, Hyles qui regna tuentur:
Et iuuenem illecebris in sua uota trahunt.
At pater hunc miserans reuocatq;, & fonte refundit
Nec dum pollutam charam animam, à quo abijt.

IN IMAGINEM CANDALLAE, quæ nupſit Regi Hungariæ.

EXacta archetypo, domini quod mente Cupido
Finxerat, auellor iam gremio effigies:
Heu ſortem, & queruli gratum ſolamen amoris,
Index coniugium mittor in alterius.
Arſiſſem melius: conantem flamma refugit,
Et uetuit lachrymis qui madefecit amans.

AD REGEM GALLOrum Franciſcum.

TE pie Rex, nemorum cultrix Latonia Phœbe,
Da quandoq; feris, da precor, inducias.
Ne Iuno & Pallas tecum pulcherrime rerum,
Colloquia, ut quondam Latmia, mi obijciant.

PROSOPOPOEIA. PONS loquitur.

CLotaldi ad pontem clamabat, Siſtite greſſum
Magnanimi Reges, priſca ſuperſtitio.
Siſtebant pauidi, & credebant corpora cymbæ,
Ponti non auſi credere marmoreo.
Quid memorem cauſam, quæ impingat turpia genti,
Nec credenda pijs pacta mali genij?
Quin potius referam, quod non auerterit à me
Franciſcus faciem, tranſtuleritq; gradum.
Quod tulerim pondus, quo non præſtantius ullum
Terra tulit, ualeat fœda ſuperſtitio.

Quod mihi se Regem dederit, qui Rege carebam.
An qui me timuit, Rex meus ille fuit?
Sequana ne insultes: sum regius. ede uiator,
(Murmura nam proceres prætereunte dabant)
Num pius, an sapiens, an fortis talibus ausis
Rex meus est? Rex est. & uale, abi incolumis.

IN TABELLAM HABItabilis oblatam Regi.

HIc se terrarum & pelagi diffundit imago,
Orbem uno intuitu conspiciuntq; oculi.
Indicat hæc facies orbis, Rex, peruia regna
Iustitiæ, atq; armis cuncta patere tuis.

AD REGEM.

QVod Cyprio regi cecinit melos Attica Siren
Suaue, decens, lepidum, Celtica lingua refert.
Indicium pie Rex, quàm sint modulamina Graium
Digna, ut letheis eripiantur aquis.

AD REGEM DE IMAGIne ei oblata.

DIuitius pie Rex ipsam tibi tradit Elisam.
Vt Paris, idolum nam Raymundus habet.

RESPONSIO.

HAnc tamen ut Proteus tantum seruamus: at illam
Vt Paris, idolum, sic Raymundus habet.

IN

IN OBITVM DIVITII, Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu.

DIuitius, coleret ne quis quem purpura uestit
Præsul amicitiæ iura colenda, obijt.

IN COSMVM ORICELLARIUM.

NOn genus & patrui tam clari candide Cosme
Prosunt: heu iuuenem te Libithina rapit.
Nam Venus Aeneæ præconem carmine uinci
Dum cauet, ad Thuscos te trahit inde sonos.
Verum ubi in his etiam uincis, quem Laura poëtam
Torserat, indoluit filius alter Amor.
Atq; ait, obscurat nostrum hic cum laude triumphum.
Qui leget hæc, titulos despicietq; meos.
Nec iuuenum curas tantum, grauiora solutis
Rhythmis, & patria personat ille tuba.
Nulla cothurnato uati dum gratia mecum est:
Huic tamen & tetricis gratia parta modis.
Sic amet ut pereat, nec differt feruidus iram:
Tabe graui & patruis te abstulit, & patriæ.

AD REGEM ARMA offerentis.

QVæ latus & dextrã caua parma & curua bipennis
Armarant, Pharij principis arma trucis,

Eximij heroum, Ledea ut sidera nautæ,
Vos seruatores terra fretumq; colent.

IN PONTIFICES diſſidentes.

IN se diuisum regnum quodcunq; peribit:
In se diuiditur pontificum, ut pereat.

DE ITALIA.

IAm pecudes pepulere canes, galliq; facessunt:
Italia est rabidis præda relicta lupis.

IN PROPERTIVM.

NEscio quid maius fassus nescire Properti,
Cedite reclamas, cædier es meritus.

IN MALVM CONſultorem.

INfaustum memorant aurum per stagna Tolosæ,
Seiani & sonipes, quàm fuerit dominis.
Tertius accedis, nec sors te ignara coëgit
Infaustum dominis, consilia ut rabida.

IN THOMAM LINACRVM, Galeni interpretem.

OMnigenos Pæan suetum te pellere morbos
In Latio, & Diti subtrahere arte animas,
Desidem ubi & bardum uidit facunde Galene,
Posthabitumq; alijs, quos memorare piget:
Dixit, prospiciens populis, Age mysta Linacre
Redde uirum ingratis quamlibet Ausonijs,

Tam sibi quàm proauis, qui dogmata prisca relinquunt,
Tricisq; inuoluunt ingenia, & tenebris.
Hæc deus. at Thaumas afflatus numine talem
Te uertit, qualem Græcia culta tulit.

AD SVMMVM PONTIficem Leonem.

NOn minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri:
Peligni uatis concinit ore dea.
Gloria & obsequium Graium Leo maxime parta
Iam tibi, uirtutem dum reparas generis.
Hæc tueare precor, mitisq; alimenta Mineruæ
Ne patiare uorax glubat Enyalius.
Sic ô sic iunctis regum Latijsq; cateruis,
Turcorum rabiem Pannonia eijcias.
Auspicijsq; tuis Byzantis regia, pulsis
Hostibus, imperijs pareat usq; pijs.

IN PRINCIPES Christianos.

HEu minor est canibus rabies, sapientia maior
Quàm tua, quàm regum, maxime pontificum.
Nempe illi sese ut lacerent, ubi uerius hostem
Videre, unanimes mox petiere lupum.
Pro deus at, regesq; pij, fera bellua natos
Dum uorat, & fratrem, se lacerare parant.
Nec tamen hi lacerant sese, plectuntur Achiui
Hac rabie. ô deus, ô, ô deus hos pateris.

IN SVMMVM PONTIficem Leonem.

Corrupere probos, uetus est sententia, mores
Improba colloquia, & praua sodalitia.
Pontificum summus, pietas quem prisca, fidesq;,
Quem mite à pueris ingenium extulerat:
Præbet ubi infaustis aures, indulsit iniquis
Arma, gregis pastor queis minuebat oues.
Ergo ubi se lapsum & facinus procedere sensit,
Languet, & ingeminans, heu quid ago, interijt.

IN FEDERICVM.

Zenonis tetrici sequeris Federice loquendo
Dogma: Neocliden quicquid agis, redolet.

IN ADRIANVM SVMmum Pontificem.

Iuppiter ut comiti fluctus calcare profundi
Cui dederat Romæ præficeret similem:
Torsit ab Ausonia faciem: respexit ad arcton,
Ad uetus Astrææ uirginis hospitium.
Atq; inter Cimbrosq;, & Agauos lacte madentes,
Conspicuo excelsi ius tribuit solij.
Prudens simplicitas placuit: iam uindice pacis
Pontifice in Turcos uertite tela pij.
His par auspicijs regnum defendier, hostis
Quod uorat, ut reliquis exitio immineat.

AD

AD EVNDEM.

FElix, cui data sunt absenti uota Senatus
Pontificum, Princeps pontificum ut fieres.

RESPONSIO.

QVin imò infelix, placui qui tot miserandis:
Si Deus ad similem semper agit similem.

IN MARCVM ANTONIUM Columnam.

MArce trium de te lis magna exorta deorum est.
Mars ait: intrepidum quod facio, hic meus est.
Vendicat Alcides: inuictum reddere, clamans,
Quem potui, possum dicere iure meum.
In duce consilium: non hoc præstantior alter
Consilio, meus est, cedite, Pallas ait.
Cana Fides aderat, dextramq; iniecit, & infit:
Vt fiet hic uester, me colit usq; suam.

IN EIVS MORtem.

NEmpe uiri perijt uirtus, imitabile fulmen.
Molem adigi edocuit fulminis instar homo.
Nec Deus hunc potuit quisquam detrudere ad umbras,
Fortibus exitium dum parat arte noua.
Heu miles nullus, nec te præstantior ullus
Dux fuit Antoni, sed procul ictus obis.
Nec conferre manum licuit, nec cernere quis te
Perderet: & uirtus cura deûm ulla hominis?

AD

AD ANTONIVM
Adornum.

Quod sit terdenis nec dum tribus inclyte ab annis
Dux Genuæ ereptus frater Adorne tibi,
Mœres: fraterno cineri superesse recusas,
Ni uitam matri, quam dedit illa, adimas.
Et, iuuenem (ingeminas) iuuenem mors abstulit, illi
Ingenio nullus par fuit, atq; animo.
Nec tibi uel Babylon, uel Tigris fata dedisse
Vitæ his ingenijs suggerit hoc spacium.

IN ELECTIONEM PONtificis Adriani.

Quis neget Italiam passim uirtutis egenam?
Axe quæ ab egelido sponte petit dominum.
O Marij, ô Catuli furijs agitate nepotes:
Romulidæ Cimbros ante tulere sibi.
Queis'q; cadaueribus uos terram, indigna propago
Ius cœli & terræ, ius dedit ipsa sui.

IN OBITVM FRANCIsci Rubri.

Quis pompa effertur, quantam nec principis ullam
Vidimus? huic princeps ductor adest Venetum.
Francorum regis legatus. Num Ruber ille?
Ille est, insignis nobilitate, fide.
Quàm procul à patria tumulatur: non procul est qui
Armoricus. Veneti sunt quoq; ab Armoricis.

AD REGEM.

Q Vestus eram, nimium de te licuisse prophanis,
Rex pie: damnaram fata inimica, deos.
Siccine uos tangit pietas? hæc præmia macti
Religione ferunt? deteriora uigent?
Siccine uirtutes, queis non præstantior alter
Rex fuit, ingrati destituistis heri?
Talia iactaram, per noctem uisus adesse
Interpres diuum, talibus admonuit:
Dolia bina Iouis recolas, & uota Philippi:
Deuoluunt parcæ noxia iuncta bonis.
Ergo bona herois fortuna immensa rependens,
Hoc sibi uisa leue est retribuisse malum.

DE EODEM SANANTE infirmos in Hispania.

E Rgo manu admota sanat Rex chœradas, estq;
Captiuus superis gratus, ut ante fuit.
Indicio tali regum sanctißime qui te
Arcent, inuisos suspicor esse deis.

EPIGRAMMATVM IANI LASCARIS. FINIS.

FERDINANDO MAGNO HISPANIARVM PRINcipi, Archiduci Austriæ, felicitatem dicit Iacobus Comes Purliliarum.

ET si Turcarũ arma tuã exerceant excellentiã, & peritam quotidie in re militari reddãt, tamẽ Princeps magnanime, nulla est in hac uita ars, quæ non aliquo fine claudatur: sola militaris scientia, quæ omnium periculosissima est, & cuius nutu totus regitur orbis, nullum habet, neq; habebit unquam finem: quotidie noua consilia, nouæ calliditates in Imperatoribus oriuntur, nouum bellandi genus inuenitur: & deniq; nemo unquã satis peritus in hac arte fuit. In momento magna euertũtur regna, nec est pœnitentiæ locus: pœna continuo sequitur errorem, nec leuis illa quidẽ, nam & exercituũ interitus, & imperiorũ mutationes fiunt, ex quo summopere

mopere cõmendandus est Princeps, aut exercituum Imperator ille, qui frequenter audit & legit, & cum peritis loquitur de re militari. Nam assidua ista meditatio plurimum illis proderit, & peritos in re militari faciet. Ex quo cum cognoscerem, quantum Principibus Christianis ars ista utilis & necessaria esset, & ocio fruerer, consiliũ fuit, opusculum hoc de Re militari scribere, & tuę excellẽtię dedicare. Nam in te spem omnem habet Christiana Respub. ut te duce, te autore, Turcarũ impetus tandem ui cõtundantur: quorũ regnandi cupiditas insatiabilis est, neq; modũ habẽs, neq; finem. Paruum est munus inclyte Princeps, quod ad te mitto: tamen si animũ respicies, ex quo munera iudicantur, maximũ existimabis: nec ingratũ illud quidẽ (ut reor) Tuæ Celsitudini munus erit. Nã multa in eo, cognitione & Principe digna inueníes, & loco fidelis cõsiliarij esse poterit. Valeat semper inclyta Dominatio tua, cui me plurimum commendo.

PROOEMIVM.

PLerique & eruditissimi quidem, ac clarissimi uiri, de re militari nõ ineleganter, neq; inutiliter scripsere: quippe qui summa cum diligentia ac studio Imperatoris, militumq; officia prosequuti sunt. Sed ipsa stratagemata, quibus Imperatores & milites in bello, uel ipso in prælio uti consueuere, et ad sui tutelam, & ad hostium pernitiem, parum in operibus suis attigisse uidentur: præter unum Frontinum, uirum consularem, qui satis cõmode, satisq; abũde ipsa descripsit Stratagemata. Verum non inutile uisum est mihi, aliquid in hac re antiquis addere scriptoribus, & in hoc scribendi genere aliquantulum & me quoq; laborare, quantumq; ingenioli nostri uires patiantur, nouas bellandi referre artes. Nam ex temporũ uarietate, uariæ quoque bellandi rationes & artes inueniuntur: & ut imperia mutantur, ita & nos quoq; in illis mutamur: nouę in hominibus indies oriuntur calliditates, noua bellandi genera, noua expugnandi tuendiq; urbes reperiuntur. Nonnullis tamen hoc impossibile uidetur, quantũ ad stratagemata pertinet, ne dicã arduũ: asserẽtes ipsa ex facto oriri, nec posse certã regulam, & modum in his poni. nam quot casus euenire unquã in bello possent, siue in prælio, tot stratagemata reperiri necessariũ esset. Quibus paucis respondebo, uerum

esse,quod aiunt: sed nullum unquam ferè in bello casum cõtingere posse, quin ille idem, aut ei similis aliquando fuerit. exemploq; nobis manifesto sint Iurecõsulti,seu Imperatores Romani, qui sanctas condidere leges. Nam nõ omnes futuros casus illi comprehendere poterant: unde hoc non ignorantes constituerunt, ut in similibus idem seruaretur ius. Vtemur ergo & nos iisdem stratagematibus, ubi similes contingent casus: erit tamen prudentiæ Imperatoris, & præsulum, necnon & militum,omnia diligenter animaduertere,&quid expediat nec ne iterum atque iterum considerare: nam in bello seu prælio,si quid ignorantia aut incuria cõmissum fuerit, pœnitentiæ haud locus est, statim enim errorem pœna sequitur:nam aut trucidant ab hostibus,aut capiũtur, uel aliquod aliud graue cũ suo maximo dedecore accipiunt incommodum.Igitur si optimi Imperatores,seu alii militiam exercentes, has, quæ inferius notabuntur, egregias bellandi artes, memoriæ mandabunt, & frequenter animo uoluent, profecto in omni, & belli & prælii euentu maxime tuti erũt. nam quantum in bello,& ipso quoq; in prælio consilium ualeat,omnes clare intelligunt atq; cognoscũt. Quoniam quid prodesset magnũ & robustum habere exercitũ,si Imperator illi ignauus ac nullius prorsus consilii esset? & milites nullius artis bellicæ periti? Si enim corporis uires tantum consideremus, quot bruta animalia nobis prestantiora essent? il-

lis

lis tamen consilio & ratione dominamur: experimentoq́ cognitum est, in bello semper ingenium plurimum posse. exemploq́ nobis sit Annibal ille Carthaginensium Imperator, qui consilio & calliditatibus suis Romanum penè euertit Imperium. Sed quid antiquos commemoro? cum satis nobis abundeq́ exemplo sit Nicolaus Picininus Fortibrachius, Imperator exercitus Philippi ducis Mediolanensiũ. hos duos exempli gratia retulisse sat est: nam uterq́ ætate sua stratagematibus plurimũ ualuit. Sed quia de imperio belli tempore administrando, scribere instituimus, non militares solum calliditates referre hic in animo est, uerũ quicquid ad bellum quocunq́ modo pertinere cognouerimus: & quæ inferius notabuntur, multa ex antiquorum librorum lectione, nec non & à peritis artis bellicæ uiris accepimus, nõnulla etiam ex nobis referemus. Sed priusquã ad ea, quę in bello necessaria esse uidentur, ueniamus: pauca de belli suscipiendi ratione præmittemus.

DE RATIONE BELLI SVSCIPIENDI.

PRiuſquam bella ſuſcipiantur, iterum atq; iterũ conſultandum eſt, an iuſtam belli mouendi cauſam foueas. Verũ nec hoc etiam ſatis ad bellum inferendum erit, niſi hac mente ſuſcipias, ut in pace & quiete uiuas, non ut ex bello bellũ ſeratur: quo nihil ſtultius, nihil immanius eſſet. Sed ſi pœnitentia inferentis iniuriã, aut alio modo tibi ſatisfieri poſſit, impium & crudele admodum eſſet, et ferarum potius quàm hominum, bellum cuiquã inferre, cæca libidine dominandi, aut diuitiarũ cupiditate: & quem uerbis poſſis, gladio ſuperare. Quod autem dico de pœnitentia, de uera, non ficta, non ſimulata intelligo: & ni manifeſtum immineat periculum, ne talis impunita iniuria alios ad ſimiliter inferendum tibi excitatura ſit. tunc enim celeriter & ſæue ulciſcenda eſt. Si quod tamen damnum cum iniuria tibi factum eſt, illud reficiendum erit, & proderit tibi multum quo ad hominum exiſtimationem. Verum ſi non temere times, quòd contra te aliquis, aut potentior te, aut æqualis, bellum ſuſcepturus ſit: tunc conſilium eſt, ut arma tu illi prior inferas. quoniam maior inferenti, quàm propulſanti animus eſſe ſolet: quemadmodum in bello prius

ex hy

ex hybernis milites deducere, necnon & in aciem exercitum dirigere, & hostes aggredi perutile est. hoc enim pacto ad sanitatem & pœnitentiam bellum contra te cogitantem facile reduces, & pacem (in qua uiuere exoptas) celeriter consequêris. & hic uerus timor satis tibi iusta inferendi uel propulsandi potius bellum causa sit. Vnum tamen non omittendum censui, ut priusquam bellum suscipias, etiam si iustam inferendi causam habeas, diligenter prospicias, qualis belli futurus sit euentus. nam incipere bella unicuiq; licet, ponere autem in uictoris manu existit. Quare mature & tuas & hostium cogita uires, antequam bellum suscipias: & quos amicos, inimicos'ue uicinos habeas, & eorum uires, necnon & fidem, alijs in rebus prius experire, ne te in bello postmodum occupatum, illi totis uiribus ex improuiso adoriantur, & sic graui aliquo te afficiant damno: & deniq; omnia cogita, & amicos, & inimicos fieri posse, & quid si hoc acciderit, tibi agendum esset: nihilq; immeditatum relinquas, quod tibi in uario & periculoso bello euenire poßit. Postea uero quàm bellum omnino inferre decreueris, omnia ad bellum necessaria inscijs quantum poteris hostibus, tibi abunde superq; præparanda sunt. Nam longa belli præparatio celerem tibi & expeditam affert uictoriam. Omnes nanq; impensas, omnia ad bellum necessaria, qui suscepturus est illud, iterum atq; iterū animo uoluere debet. nam si prope adepta uictoria, aut pecuniæ, bellorum nerui, aut

instrumenta bellica deficerent: quid aliud celeri ex illa & parum considerata belli susceptione, quàm dedecus aut ignominiam consequêris? Quare non immerito sequitur, ut qui bellum celeriter suscipit, celerius eum pœniteat: & cum maximo etiam damno eius & dedecore, parum post supplex pacem petat.

De eligendo Imperatore.

Talem exercitus tui in Imperatorē eligas uirū uelim, qui generoso sanguine ortus sit, quiq; nihil præter malam famā in uita timeat, uicijsq; omnibus careat. nam qui alijs imperare uult, sibi ipsi prius imperare cū decens est. Vbi enim appetitus dominatur, cessat ratio: qua sine, figura tantum, non re homines dici possumus. sed præsertim luxuria & auaricia, ab omnibus procul dubio fugiendis uitijs, carere debet: nam magnos hæc duo scelera & innumerabiles quidem pariunt effectus. Luxuria enim Imperatorem reddit infamem, & amicis, & inimicis cōtemnibilem: et quod deterius est, exercitum quoq; turpitudinis suæ imitatorem facit. qua ex re muliebris cum Imperatore, quod admodum dedecorosum, efficitur exercitus: & dum molli Veneri operam dant, fortem Martem deserūt. nam uires & animi & corporis hæc improba domina penitus tollit: & denique quo in uiro luxuria uigebit, nulla unquam uirtus erit. Tanto enim, tamq; immortali odio se inuicem luxuria & uirtus prosequuntur, nulla induciarum, nulla unquam in ipsis pacis est spes. Imperatoris aūt

auaritia milites suos etiam strenuos, & ad maxima pericula promptos, pigriores reddit: neq; pro auari & ideo inuisi Imperatoris gloria, aut pro uictoria se periculis exponere uolunt, cum frustra se laborem suscipere, & pericula Imperatoris auaritia subire manifeste uideant atq; cognoscant: quia laborum suorũ, nec non & periculorum præmiũ desperãt. Sed quid singula referre opus est? cum omniũ malorũ fons et origo certè sint hæc duo uitia. Præterea fortunatus sit Imperator. nam quidam adeo aduersam patiuntur fortunam, ut uinci semper eorum peculiare sit: neq; militũ multitudo aut fortitudo uictores illos fecere unquam, adeo ut illis ducibus nulla certè uictoriæ spes sit. Optimo igitur in Imperatore hoc præcipue requiratur, ut quàm maxime fortunatus sit. ad hoc curandum est etiam, ut talis uir ab incunte usq; ætate sub optimis milita uerit Imperatoribus, & in exercitu magna cum gloria ordines duxerit, maioriq; semper honore dignus ab uniuerso habitus fuerit exercitu, quiq; magna & ingenij sui, & artis bellicæ experimenta præbuerit; uestimentis autem æqualis cæteris sit: neq; impetu ad aliquid agendum, sed ratione ducatur. Plura de Imperatore scriberem, nisi alijs duobus opusculis nostris de ipso abunde superq; scripsissem: & in pluribus etiam capitulis inferius eorũ & mores, & uniuersam deniq; notassem naturãm.

De patientia in bello.

Multa sunt quippe uario in bello toleranda, quæ dulci

in pace

in pace non essent. nam nō omnes, quas in bello patiuntur iniurias, statim ulcisci expedit: sed earum ultionem potius post peractum bellum, dißimulatis tunc iniurijs, differre debemus, ne eodem tēpore plures nobis paremus hostes, quorum uim sustinere nobis aut difficile admodū, aut impoßibile sit. nam suscipere bella nihil leuius, ponere autē cum gloria nihil difficilius: & paruæ quidē scintillæ, quas minime curamus, magna quandoq; excitant incendia.

De inuicto animo Imperatoris.

Prudens Imperator*, quiq; rei militaris peritiam optime callet, neq; uictus, neq; uictor unquam quiescere didicit, sed semper magno & inuicto animo sese gerere consueuit.* Hoc *enim pacto & uictum, & uictorem pariter hostes perhorrescent, & mortalium neminē magis quàm eum timebunt, absentemq; & præsentē æquè sibi exitialem existimabūt. qua ex re facile eueniet, ut huiusmodi animi* Imperator*, aut honestam pacem, aut gloriosam de hostibus uictoriam consequatur.*

De urbis oppugnatione.

Omnes ferè urbes & oppida ex una magis quàm ex altera parte habiles ad expugnandū existunt. quare qua urbis parte difficilior et periculosior oppugnatio est, ex ea iubere debet Imperator *omnes tubas canere, ut earum horribili clangore exciti urbis defensores, & perterriti illuc accurrant: & sic aliquam ipsam urbis partem minus custoditam relinquant, & ex ea faciliorem nobis urbis*

bis oppugnationem reddant. nam procul dubio, ubi rari sunt defensores, facilius minoriq; cum exercitus clade muros ascendimus, & pauci à multis certè cōtemnuntur, & haud difficile opprimuntur. Sed facilius munitiorē urbis partem deserent defensores, si debiliorem totis uiribus oppugnari uident. qua ex re consilium est, ut accepta robustioris exercitus parte, munitiorem, ob idq; minus dubiam & custoditam urbis partem aggrediantur. ex loci tamen situ & defensorum numero consilium capiat Imperator.

De maiori hostium exercitu.

Vbi maior est hostium multitudo, tunc non inutile consilium est, ut naualibus uiris, si propè classem habeamus, uel aliorum celeri diligentiq; habito delectu, nostrum augeamus exercitum, ut & militum uirtute & numero pares illis esse ualeamus. nam hostium multitudo proculdubio paucitati terrori esse solet. Verum cum præter eorum & spem, & opinionem hostes nostrum auctum esse exercitum uiderint, uires ilico & magni spiritus illis concident: neq; ea alacritate certè prælium inibunt, qua utiq; fecissent, si secundum eorum opinionem, hostium numerū uidissent. Meminerit ergò semper prudēs Imperator, nulla pecuniarum ratione habita, suum quantum poterit ex improuiso augere exercitum, ut & militum numero & uirtute, hostibus uel superiore uel saltem par sit.

De Impera

De Imperatoris dedecore, qui exercitum æstate sub tectis habeat.

Magna est Imperatori ignominia, uel maximum potius dedecus, exercitum suum æstatis tempore sub tectis habere, quo maxime bellum ab eo acriter gerendum esset. & quid me hercle aliud est, hoc tempore in hybernis milites habere, quàm eos imbelles, & nullius prorsus patientes laboris reddere? Curet igitur quàm diligentißime Imperator, strenuum suum exercitum non turpi in ocio, sed in continuis maximisq; habere laboribus, in quibus assueti dura prælia, ludos, iocosq; sibi esse existimabũt: patiendaq; uiris, forti ac inuicto gerent animo. nam quid assuetudine maius? quæ labores uel intollerabiles leues facit.

De inspiciendo locum ad pugnam.

Imperator, priusquam cum hostibus prælium committat, locum in quo illud commissurus est, quàm diligentissime proprijs inspiciat oculis, quorum inspectione nihil fidelius: & quid sibi utile, quid'ue contrarium, manifeste intelliget, quonam'ue pacto acies instruere debeat, & an hostibus insidias parare, uel ab eis sibi parari poßint. Meminerit prudens tamen Imperator, non prius ad locum inspiciendum accedere, quàm per idoneos exploratores sibi manifestè cognitum fuerit, nullas ibi esse hostium insidias, sed tuta omnia atq; pacata.

De Imperatoris uestimentis

Vestimentis Imperator cæteris æqualis sit. hoc enim

pacto

pacto multitudinis fauorē plurimū sibi conciliabit, humilitatis uendicans sibi, & superbiæ nomen effugiens: uerū uirtutibus superior sit. Decet enim eū, qui alijs imperare optat, quemadmodū illustri dignitate cæteris, ita & uirtutibus, & bonis moribus superiorē esse: aliàs sibi Imperatoris nomen falsò uendicabit, qui subditis sit deterior.

De hostium moribus pernoscendis ante prælium.

Manus cum hostibus conserere, nisi eorum prius diligenter accurateq; notis moribus, ualde periculosum est, magnumq; plerunq; ex hoc exercitibus incōmodum euenire solet. Nam callidus Imperator, & artis bellicæ non ignarus, nunquam prælium certe committet, nisi eorum prius optime mores nouerit. Nam quot ferè in orbe nationes sunt, tot præliandi modos habent. & cum alijs aliter atq; aliter & acies instruere, & manus conserere debemus: & ex armorum genere, nec non & hostium equitibus & peditibus consilia prudens trahet Imperator: & quid agere debeat, quid'ue ei expediat, non ignorabit.

De Germanis & Gallis.

Cùm manus cum Germanis aut Gallis conserimus, prælium in longum, quantum possumus, ducere debemus, antequam ad uniuersam dimicationem descendamus. nam corpora delicata, & laborum impatientia certè habent, & fame mediocri etiam & siti plurimum franguntur: & sic fessi nec alios ferire, nec se tueri possunt. Et hoc

pacto

pacto quos uiribus uel nequaquam, uel cruento exercitu superasses, consilio facile unices: et hac utendo calliditate, orientales milites, Italos, illis proculdubio robustiores, ob grauia armorum onera facillime superabunt.

De seditione in castris tollenda.

Cum in castris atrox oritur seditio, Imperator debet lenibus uerbis feroces militum animos mulcere, & sedato tumultu factionis principes tantũ horrida securi percutere: uel eos alicuius negocij expediendi gratia aliquò ablegare, ut pœna ad paucos, exemplũ ad multos transeat: quo cæteri territi milites, tales perniciosas in exercitu seditiones alere atq; excitare omnino cessent, ne huiusmodi quoque illi graui pœna afficiantur.

De modo speculandi hostium castra.

Imperator, qui hostium castra speculari cupit, consiliũ est, ut optatam omnibus pacem callide simulet: & sic sub honestæ rei specie, peritos artis bellicæ uiros ad explorandum hostium castra tuto ac commode mittere poterit. qui postquam & castrorũ itinera, & qua quisq; in ipsorum regione Dux castrametatus sit, diligenter speculati fuerint, quidq; uirium ubiq; sit: noctu poterit hostium castra adoriri, gloriosamq; uictoriam quàm facillime de illis reportare. nam & inopinatos, & somno ciboq; sepultos facile est trucidare, & in fugam uertere.

De pace bello potiori.

Pacem, quæ Imperatoris & honorem, & aliquam respiciat

spiciat utilitatem, & si ipsa quoq; dulcis uictoria in manibus sit, nunquam abnuere debet prudens Imperator: ne fortuna, quæ sese lætam nunc illi fortasse ostendit, paulò post tristes induat uultus: & qui modo tanquã uictor exultabat, uictus parum post ingemiscat.

De tubis & exercitus clamoribus.

Cum hostium exercitus appropinquat, & iamiam cum illis manus conserturi sumus, non ab re erit, iubere omnibus sclopetis prius ignẽ admouere, deinde omnes tubas canere, & uniuersum exercitũ clamorem tollere: & deniq; strepitu, clamore, nec non & tubarum clangore, alijsq; instrumentis cœlũ, terramq; replere. quibus rebus & hostes multũ terrentur, & amicis animus non mediocriter augetur. Pompeianaq; clades illa nullo sæculo obliuiscenda, nobis exemplo sit, qua Magnus Pompeius plurimũ imperitia militari notatus fuit, quòd milites suos admonuerit, ut paulatim sine strepitu et clamore incederẽt, quæ res magna fuit Pompeiani exercitus delendi causa.

De extrema acie.

In extrema acie, meminerit quibus uiris constare debeat Imperator, et fideliores & fortiores habere semper. Nam ea integra, incolumis uniuersus seruari poterit exercitus: imò & frequenter de hostibus gloriosam uictoriam consequi. Quoniam cæteræ quippe diu præliando deficiunt acies, hæc recens uiribus & manum cum hostibus conserendi percupida, alacriter inibit prælium, & ut

ex uniuerso exercitu robustiores & fideliores milites, maioribus uiribus quàm prius prælium reintegrabunt, & defessos longo prælio hostes, uictos proculdubio dabunt.

De magnis urbibus.

Magnæ & opulentæ urbes diu domi quiescere nequeunt, nisi foris hostes habeant. Quare huiusmodi urbes quæ magnum habent imperium et opulentum, quæq; per annuos reguntur magistratus, accuratissime perspiciunt, ut foris semper aliquem habeant hostem, ne turpi in ocio tam dites sint urbes, ex quo omnia mala certe proficiscuntur. Dum hostis populi Romani *stetit* Carthago, Romanum *semper uiguit imperium: ea euersa, &* Romanum *corruit imperium. Quare quantum boni sit in timore externo, oculis penè ipsis cernere ualemus.*

In castrametatione quid agendum.

Dum metantur castra, debet Imperator *exercitus partem, & robustiorem quidem, in armis habere, donec munitiones perfectæ fuerint. Nam frequenter in castrorum absq; ullo òrdine metatione solent exercitus inuadi, & insignes clades accipi. Quid enim prohibet, inermem exercitum & castrorum metationi intentum, nihilq; prorsus tale opinantem ab armatis hostibus non trucidari, sed in fugam turpiter conuerti? & hac quoq; de re* Tridentina *clades de strenuo* Venetorum *exercitu proximis annis accepta, manifesto nobis exemplo esse potest.*

In amicis conseruandis quid agendum.

Cum Imperator maiori aliqua necessitate coactus, in tempore amicis suis auxilium & opem ferre non ualet, illis saltem male habitis, dignam de hostibus omni studio & cura ultionem sumat. Nam *ut in posterum in fide cæteri quoq; eius amici persistant, magnum & memorabile erit exemplum, & alacriores etiam & fortiores ad hostium uim sustinendam fient.*

De bono celeritatis in bello.

Et castra & urbes etiam munitißimæ, omnium rerum uictrice celeritate frequenter opprimuntur. Q*uare post maturam consultationem, summum bonũ esse in ipsa celeritate sciat* Imperator. N*am quantum in se boni habeat experientia ipsa clare cognoscit, & si oculis pene ipsis cernere possumus.*

De ordine seruando in prælio.

N*on excedere ordinibus suis milites in prælio tutißimum est, & pernecessarium ad consequendam de hostibus uictoriam.* Q*uare iterum atque iterum admoneat* I*mperator, ne ordinibus suis temere excedant, magnis etiam egredientibus statutis pœnis: & maxime ubi cum* O*rientalibus militibus manus conserturi sunt. tunc enim facilius quàm pecora trucidarentur.* D*iligenter autẽ & facile milites mandata custodiẽt, si illis artis bellicæ haud ignari præfecti erunt, & si extra ordinem etiam non nul*

lis militaribus, & ex uniuerso exercitu fortioribus uiris huiusmodi mandata fuerit prouincia, ut intra ordines suos milites retineant. Nam *huiusmodi uiri extra ordinem delecti, diligentius quàm ipsi præfecti omnia prospicient & curabunt, destituta prælia frequenter reintegrabunt, & ui hostium disiectas cohortes strenue restituent.*

De parua ad tuendam urbem multitudine.

Vbi parua est multitudo, quæ urbem tueatur, consilium est, eam corona cingere, die noctuq; prælio detinere, acerrimeq; oppugnare, ut fessi tandẽ dedantur. nam quis tam strenuus est & robustus uir, qui diu sine quiete in uiuis esse poßit? ne dum acriter cũ hostibus pugnare. quare in urbis oppugnatione diligenter exploret Imperator, *quot uiris abundet: & an satis sint ad eam tuendam die noctuq;, si prælio illam aggredi & oppugnare uellet.*

De seditionis spe.

Vbi aliqua spes est in urbe quam obsidemus, seditionem moueri, consiliũ erit, ut oppugnatio differatur: quoniam celerius, & quod admodum gloriósum est, incruento exercitu, in tumultu illo urbs capietur. Omnem *igitur ad occasionem intentus sit* Imperator, *ne ea prætermissa magnum illi postmodum sequatur incommodum.* Hoc *idem seruandum erit, ne cum hostibus manus cõseramus, si spes ulla erit, quod in hostiũ castris seditio aliqua oriatur, aut tumultus excitetur.*

Pacis

Pacis tempore quid agendum.

Vbi sæuis cessatur ab armis, non turpi in otio subditos absumi permittat Imperator, sed durã ad agriculturã illos cogat: ut ex terræ redditibus & exercitum alere, & debita militibus suis stipendia præbere poßit: & ut perpetua exercitatione robusta corpora conseruet, & laboris patientia. Non inutile etiã erit, hoc tempore eos cogere foueis & aggeribus urbes & oppida plurimũ munire.

De fictis rumoribus.

Ficti rumores in bello multum & nocere, & prodesse plerunq; consueuere. Quare ex re & tempore salubre consiliũ prudens capiet Imperator, ut ficta pro ueris uel in hostium exercitu, uel in suo, per callidos uiros denunciare faciat. nam fictos rumores illos sibi multum prodesse experientia ipsa clare cognoscet.

De officio Imperatoris.

Nihil grauius in bello exercitui aut militibus suis prudens præcipiat Imperator, quàm ipse facturus esset. & meminerit aliquando fugam & timorẽ callide simulare, quæ uictoriæ causæ esse plerunq; consueuere.

De suspicione alicuius urbis, an sit amica necne, pernoscenda.

Vbi est Imperatori suspicio, an urbs aliqua ei amica sit nec ne, consiliũ est, ut aliquid ab ipsa arduum petat: quod non nisi amica & fidelis ei ciuitas præstitura esset. hoc enim pacto eorum animos aperte nudabit, & qua mente,

quóue animo erga illum sint clarè intelliget atq; cognoscet, & tunc ex re utile admodum capiet consilium.

De confidentia in bello.

In bello & magno quidem, nunquā optimo Imperatori desperandum est. quoniā bellorū exitus uarij & incerti esse consueuere, nec semper principio finis respondet: & in bello uultus lætos, modo tristes incerta induit fortuna, nec unquam uni perpetuò bona est: sed modo uni, alteri modo sese facilem obsequiosamq; præbet.

De situ urbis ab Imperatore inspiciendo.

Imperator urbis situm accurate proprijs inspicere oculis debet, antequam cum exercitu ad propugnandam, uel obsidendam eam accedat. nam ex una magis, quàm ex altera parte urbē aggredi uel obsidere, quid aliud est profectò, quàm & eam uel expugnare, & uel non cum damno, uel sine exercitu castra habere? quare omnem urbis situm diligenter iterùm atq; iterum prudens consideret Imperator, ex eoq; consilium capiet, qua urbis parte eam aggredi, uel obsidere expediat.

De libertate omnibus seruanda & augenda.

Libertatem illibatam omnino seruet, imò augeat Imperator captis prouincijs, urbibus, uel oppidis. nam nihil est, quod captiuorum animos magis alliciat ad beneuolentiam & amorem, nec non & antiqui domini obliuionem, quàm intactam illis libertatē & seruare & augere: qua nihil dulcius in hac uita, nihil suauius mortalibus contingere

gere potest, pro qua & horribilem mortem subire nemo unquam sanus mente recusat.

De dubio hostium aduentu.

Vbi in itinere hostiū exercitus aduersus nos uenturus sit, & qua parte, nos latet, & sic quo'nam modo acies instructuri simus ignoramus, expedit quadrato agmine incedere. hoc enim pacto omni ex parte tutꝰ erit exercitus, neq; ulla pars improuida relinquetur: qua ex re frustrati opinione sua hostes, qui aliquam exercitus partē à tergo se aggressuros putabant, aut in fugā postmodum uertentur ipsi, aut saltem incolumis progredietur exercitus.

De turbatis hostiū ordinibus.

Cum hostiū ordines turbati, et timoris pleni sunt, acriter Imperatori cum fortißimis militibus insistendum est, antequā à timore se illo recipiant hostes. nam ubi sese recepere, proculdubio maioribus uiribus, & cum magno fortasse exercitus incommodo ad eos delendum opus erit.

Quid exercitū robustum reddat.

Loca montana & aspera exercitus fortes ac strenuos certè reddunt, amœna autē imbelles & molles. Tyronū igitur exercitus, uel ueteranorū, qui diu turpi in ocio fuit, in montanis & maxime asperis locis exercitari debet: ut locorum asperitate ipsa assuetus, robustior & fortior reddatur. nam tantum procul dubio roboris habebit exercitus, quantum ab Imperatore indies exercitabitur. neque alio pacto fortem, aut strenuum habere posse

sibi persuadeat Imperator.*poterit & plerunq; ad imaginem ueræ pugnæ bipartito exercitu, eum ut concurrat, compellere: sine sanguine tamen, ne ex nimia altercatione oriatur discordia: quæ exercituum manifesta pernicies esse consueuit.*

Consiliũ ubi deficit cohors in prælio.

Si cohors aliqua in prælio mala mente & animo ad hostes deficiat, ne maximo cæteris terrori talis sit defectio, palàm in exercitu prædicare debet Imperator, *hoc suo factum fuisse consilio: ut tollat metum animis eorum, & ad pugnam promptiores & fortiores reddat, spe illius simulatæ ad hostes defectionis.*

De inuestigandis hostium consilijs.

Ad inuestigandum hostiũ consilia mittantur uiri callidi, & rei militaris haud ignari: qui pro transfugis exploratores fiant & locum & tempus idoneum quærant insidijs: & cum omnia hostium consilia diligenter explorauerint, referãt Imperatori. *qui postmodum re omni iterum atq; iterum cum prudentioribus exercitus sui uiris considerata, mature exequatur eam.*

De obsessis.

Obsessi debent aliquo argumento uerisimili obsidentibus ostendere, sese rebus ad sustinendum diu obsidionem omnibus abundare, & maxime quibus carent: ut destituti spe omni urbis potiundæ, ipsam deserant. & ijs sæpius argumentis delusi fuerunt obsidentes.

Quid

Quid agendum ubi duo hostium exercitus urgent.

Si duo hostiũ exercitus maxime urgeant, & duo item illis oppositi sint, consilium est, ut ex altero fortißimorũ uirorum delectu habito, properet Imperator quàm celerrime alterũ hostium exercitũ opprimere, priusquam inuicem coniungantur. & hoc cõsilio Hasdrubal Carthaginiensis *magno cum exercitu interijt: uel uerius tunc Carthaginis imperium deletum fuit, &* Romanum *conseruatum. tanta fuit uis in* Hasdrubalis *interitu cum exercitu.*

De astutia ad urbem capiendam.

Si urbem aliquam ui capere nequis, & obsidio nimis fortasse longa futura est, ut Imperator *longe ab urbe recedat, & hac illac cum exercitu celeri modo urbem uersus, modo longo proficiscatur itinere, pòstmodumq; ex improuiso ipsam adoriatur, quam attonitam frequenti exercitus mutatione omnino capiet.*

Consilium ad augendum exercitum sine impensa.

Si longe à domo aliqua paratur expeditio, & illa quidem maxime periculosa, utile est consilium, ut nobilibus & ciuibus ditibus undique ex prouincia conuocatis, imperetur: illis certa die unum in locũ cum optimis equis, & pulcherrimis armis adesse, & cum omnes illa die conuenerint, si grauiter expeditionem ferant, permittantur illis, aut personaliter ire, aut uicarium strenuum uirum

cum equis & armis dare. & hoc consilio usus est Scipio ille Africanus, dū aduersus Carthaginē sæua arma ferret.

De salubri lege in urbe facienda.

Sanciatur in urbe lex, ut uictus exercitus Imperator capitis pœna mulctetur: sic aut uincet, aut strenue pugnando cum sua immortali gloria ac fama morietur: omniaq; maiori cura & sollicitudine in exercitu curabit, quàm si nulla talis extaret lex. neque patietur exercitum suum turpi ocio corrumpi, sed in continua exercitatione continuisq; laboribus detinebit: suosq; frequenter admonebit milites, ut patriæ legis memores aut uincant, aut strenue pugnando moriantur. eosq; præterea doceat, nihil esse uiris fortißimis melius, quàm in uirtutis & uictoriæ contentione uitam fortiter ac strenue finire.

De Luxu fugiendo.

Luxus in uestitu, cibo, & potu eneruat hominum animos atq; corpus: quare illum tanquam exitialem fugiendum esse, omnes iudicarunt sapientes.

De insolentia in secundis fugienda.

Secundis rebus superbus atque insolens Imperator non fiat, sed magis atque magis caueat: memineritq;, secundas res turpem negligentiam & insolentiā sequi, quæ magnæ uel maximæ potius ignominiæ & exertiuum interniciei causæ sæpius extitere. Prosperis igitur rebus nō intumescat Imperator, neque aduersis frangatur: sed in utroq; moderatum gerat animum.

De di

De diruendis uillis & castellis immunitis.

In prouincijs sæpius esse solent cõplures & uillæ, & castella, quæ nullo ab hostibus defendi modo queũt. quare utile consilium est, ut ea diruantur, & incendantur, ne inde sibi hostes & comeatus, & alia ad uictum & sibi et equis pernecessaria facile suppeditare poßint. quod si illa integra & incorrupta reliquerimus, & quid aliud quàm belli materiam & fomentum nostris præstabimus hostibus? & non solũ castella, aut uillas, sed & pabula et aquarum fontes, si eorum in prouincia magna esset penuria, corrumpere deberemus: ut magnis impensis, nec non & grandi exercitus incommodo ad nos iter facere poßint. nam diutius deficiente comeatu, in prouincia cum exercitu morari non poterunt hostes.

De amicis & adquirendis & conseruandis.

In amicis tam acquirendis quàm conseruandis, quisquis prudens Imperator *sollicitus esse debet. nam in illis maxime regna conseruantur & augentur: & non uulgare in illis, si ueri fuerint, præsidium est. tanta uis est in amicitia humani generis conseruatrice, & miseriarum solatio. quot amicos quis habebit, nónne tot manus, linguas, oculos, pedes habebit?* Periculosius *igitur erit* Imperatori, *carere amicis, quàm pecunijs.*

De obsidione perferenda.

In dura obsidione omnia & grauia quidem prius patienda sunt, quàm dedant se hostibus obseßi: quoniam in

uiris

uiris nihil magis quàm sancta probatur fides: qua fluxa, quid uiro dignum in illis amplius desiderandum est? Custodiant igitur obsessi ipsam usq; ad ultimum uitæ exitũ, nec pro ea maximos etiam corporis cruciatus subire recusent. nam plerunq; quos nunquam putares, fortuna erigere consueuit. Persistant ergo in fide, qui in obsidione reperiuntur, & Domino omnino breui peritura corpora dedicent. nam nihil uiro strenuo gloriosius contingere posset, quàm fidem seruando uitam fortiter finire.

Quando eruptione pugnandum est.

Accidit frequenter in exercitu, nimiam ob hostiũ multitudinem castra oppugnantium, super eruptione consultari, an illa pugnare debeamus, necne. quã ob rem prudentem Imperatorem *non lateat, nunquam nisi necessario eruptione pugnandum esse. nam pugnæ genus illud in extrema tantum reseruatur fortuna, & ubi nulla tuendi castra amplius spes relinquitur, aut ubi diu illa oppugnando maxime defeßi sunt hostes. idem & in urbiũ oppugnatione seruandum erit.*

Ad intercludendũ igne hostibus iter.

Igne exercitibus aliquando certa paratur salus. nam ubi hostium exercitus adest, neq; sine detrimẽto à castris nobis abire licet: consilium salubre est, ut inter utraq; castra ligna undiq; conuehantur, & ignaris consilij hostibus castra ad celerem discessum parentur: deinde confestim omni ex parte excitato igne, in propinquiora et tutiora

tiora loca citato gradu cũ exercitu proficiſcatur. nã flam ma & fumus hoſtiũ omniũ proſpectũ tollet, nec tuto etiã recentẽ ob demiſſã flammã ſequi exercitũ poterũt. quare interim prius q̃ ignis penitus extinguatur, longius abeundi cũ exercitu incolumi liberã habebit facultatẽ Impator.

Conſilium ad remorandum hoſtiũ fugam.

Vbi hoſtium exercitus celeriori utitur abitione, quàm nos cum uniuerſo ſequi exercitu poſſimus: equitatu tunc eius nimis properata fuga tardanda eſt, hoſtium extremum agmen continuo carpendo, donec peditatus ſuperuenerit. Nam tunc iuſto exercitu prælium tutius proculdubio committetur, & facilius uictoriam de hoſtibus cum paruo etiam exercitus detrimento conſequetur.

De obſidendis urbibus ſeu caſtellis, & obſeſſorum genus.

In obſidendis urbibus, ſeu caſtellis perutile eſt conſilium, ut alta circundetur foſſa, deinde aggeres & deſuper frequentes excitentur turres, ne facile egredi obſeſſis urbem liceat, aut alicui introeũndi facultas concedatur. aliàs haud facile capientur obſidione munitæ urbes, aut caſtella. Nam & externa in tempore accerſere auxilia, & quo in ſtatu res ſuæ ſint, & Reges *&* Principes *ſuos ſigillatim admonere poterunt, quantumq́; in urbe cõmeatus ſit, & quantum temporis moleſtam ferre poſſint obſidionem. Et ſi fortaſſe contigerit nimium obſtinate & caſtella & urbes ab hoſtibus defendi, tunc con ſilium*

silium est, ut capta urbe uel ui uel deditione, pugnantium manus abscindi iubeat Imperator: ut eorum grauis pœna et diuturna in aliorũ manifestũ transeat exemplũ, ne tam obstinati in sua persistãt opinione, et obsidionẽ perferãt.

De insidijs fugiendis.

Insidiæ sola & celeri locorum mutatione proculdubio fugiuntur, nec non & frequenti præfectorum mutatione. nam ex ocio et opportunitate sæpius talia iniqua et nefanda omnino capiuntur consilia, & multoties executione turpiter mandantur.

De obsidibus accipiendis potius quàm armis pugnandum.

Vtilius est & tutius, obsidibus ex potentioribus acceptis, hostes in deditionẽ benignè accipere, quàm sæuis armis ambiguam belli fortunam experiri, quæ plerunq; uarios & incertos parit effectus: & quos uictos quandoque putas, sæpius uictores facit: & cum maxime nobis blanditur, eo magis cauendum est. nam fallax semper est & ambigua. Sequemur igitur illud decantatum ubiq; & sapientißimum consilium, quòd melius est certa pax, quàm sperata uictoria. de uera, non ficta loquor: nam in simulata citius, quàm in aperto bello opprimeremur.

De portu obstruendo.

Ad obstruendum portum consilium est, ut ingens nauis grandium saxorum plena in ore portus perfodiatur, & sic summergatur ex transuerso tantum ipsius portus.

qua ex re neq; eò exire, neq; ingredi naues ullo modo poterunt, ob summersam in portu nauem.

Ad occultãdas foueas, q̃bus hostes capiant.

Qui in occultas foueas hostes deducere cupiunt, cõsiliũ est, ut trans eas paucæ constituantur cohortes, quæ sint in armis, et pedetentim se intra cæcas recipere foueas admoneat, doceatq́; Imperator.

Ad transeundum flumen cũ exercitu.

Ad transeundum flumen, quod haud facile uadari possit, optimum est consilium, ut in superiori fluminis parte magnus ponatur iumentorum numerus. hoc enim pacto flumen inferiori ex parte & leuius & demißius fluet, & facilis uniuerso exercitui transitus parabitur.

De hostium timore cognoscendo.

Vbi uidemus hostium exercitum trepidantem, acrius insistere debemus, ut priusquam timorem deponat, fugemus eũ, prosternamus'ue: et quando timeãt necne, prudentis est Imperatoris cognoscere, & artis bellicæ nõ ignari. Vnum tamen cognoscendi modum referã. Frequens enim castrorũ mutatio denotat timorẽ & fugã. Quare tũc hostium animus leui aliquo prælio tentandus est, et an simulent fortasse fugam, ut nos in insidias deducant, necne.

Ad cogendum hostium exercitum manus conferere.

Ad cogendum hostium exercitum, etiam in iniquo loco manus conserere, consilium est, ut aliò traducamus exercitum

ercitum ad inimicorum urbem aliquã, uel oppidum expugnandum. Sic enim aut capi urbem permittent hostes, aut manus conserere cogentur.

De consilio ad fugam.

Exercitui ad fugam, optimum est consilium, ne crebri in castris ignes excitentur, & galeæ postea super truncis castrorũ aggere fixis frequẽtes ponãtur. Tali enim errore ducti hostes, longius abire exercitus poterit, quàm sciatur ab illis, an in castris sint milites, uel fugã arripuerint.

De hostibus carpentibus extremũ agmen.

Cum exercitus extremum cõtinuo capitur agmen ab hostibus, consiliũ est, ut & fortiores milites extremo constituantur agmine: aliàs non paruo incommodo, & mediocri detrimento afficietur exercitus ille, ob continuam extremi agminis carptionem. Neq; enim longius abire eum patientur hostes, nisi ex fortioribus militibus extremum constituatur agmen. Hoc enim pacto tuto & celeriter iter facere poterit exercitus.

De insigni Barbarorum perfidia.

Prudens Imperator nequaquã superbis ac crudelibus Barbaris fidem habeat. Quoniam illis iam pluries experimento cognitum est nullam inesse fidem: multaq; ex antiquis monumentis exẽpla certissima adduci possent, quæ in præsentia breuitatis causa omittemus. Sunt enim homines tantum figura, immanitate autem feræ & truculentæ beluæ: & eo perniciosiores, quo ratione & perspicaci

abundant

abundant ingenio magis: humani autem sanguinis tãtum sitibundi, ut omne ferarum genus proculdubio superent. Caueat ergo à Barbaris, singularis perfidiæ uiris, Imperator, & iterũ caueat, et nunquam se satis tutum ab eorũ putet insidijs atq; perfidia. De infidelibus sit sermo. nam Christianis talem inesse animũ, haud certe credendũ est.

Vbi paucitati cum multitudine confligendum est.

Vbi paruo exercitui cum magno, uel necessitate rerũ omnium potentissima, pugnandum est: tunc omnis exercitus unum hostium Imperatorem petat, & se tantum ab alijs defendat, donec ipsum interfecerit Imperatorẽ. Quo perempto, tunc proculdubio uictor euadet exercitus, aut æquo saltem Marte discedet. Nam capite obtrũcato, quid uirium cæteris superest membris?

De officio Imperatoris.

Imperator inuitus suorum militum & ductorum criminationes audiat: & si quãdoq; eum necessitate fortasse aliqua coactum audire contigerit, cum fastidio se id facere manifeste omnibus, & re & uerbis declaret militibus. Hoc enim pacto eorum animos sibi amore, ac maxima beneuolentia plurimũ conciliabit: et deniq; tanquam pater se ad milites habeat, nõ ut dominus ad seruos, & se potius ab illis reuereri quàm timeri prospiciat.

De abstinendo à rebus sacris.

Res sacræ intactæ Imperatoris iussu omnino relin-

tur, grauibus, surripientibus illas statutis pœnis, ne res eius in deterius semper procedant, & Deum & homines simul hostes habeat.

De Imperatoris liberalitate post uictoriam.

Imperator post gloriosam adeptam de hostibus uictoriam, debet hilari uultu uniuersum exercitũ pecunia, & magna quidẽ donare, ut tali largitate & nõ uulgari liberalitate, milites suos in posterũ & promptiores ad maxima etiã subeunda pericula, & fideliores omnino reddat. Nam fidelis exercitus omnia prius certe patietur, & manifestũ quoq; ipsum sæuæ mortis periculũ subibit, quàm dedecore aliquo clementißimũ ac liberalißimũ Imperatorem suũ affici permittat. Vtantur ergo munificentia in milites suos, qua sola præcipue non mortaliũ modo, uerũ et ipsius quoq; Dei animi mirificè conciliantur. Meminerit etiam post uictoriam Imperator, quantũ poterit laudibus uniuersum prosequi exercitũ, & immẽsas gratias illi agere, quod in bello strenuè et fideliter se gesserint, nihilq; in eo & fidelitate & fortitudine sua dignum omiserint.

De turpi fama fugienda.

Nihil strenuos milites suos, præter turpem famam timere doceat quotidie, atq; admoneat prudẽs Imperator. Nam & quid diutius in uiuis certè esse cupimus, ea turpiter amissa, qua sine nulla uitæ ratio prorsus habenda est? quoniam ea perdita, non uitam illam, quam uiuimus, sed

miserimam

miserrimam potius mortem appellare possumus. Doceat *igitur* Imperator *strenuũ exercitũ suum, & iterũ doceat, famam omnibus præferre rebus.* Hoc enim *pacto de uicto ria semper certus erit: nulla unquam ignominia aut dede core notari se gloriæ & famæ nimis cupidus patietur exercitus, fortem & promptum ad omnia semper etiam ad maxima subeunda pericula habebit: nullam unquam* Imperator *quamuis difficilem & periculosam frustra susci piet prouinciam: omnia ei ad uota feliciter succedent.*

De officio Imperatoris in congressu.

In exercituum congressu ad primos ordines currere, & inclinatis cohortibus suis opem ferre, & labẽtes fulci re optimi certè Imperatoris *munus est: nam in congressu uidere* Imperatorẽ *inter primos aliquãdo uersari, & ho stibus terrorem, & proprijs militibus animũ multũ auge re solet.* Non *diutius tamen inter primas uersetur acies, sed ad cætera diligenter curãda, quæ eius exercitui expe dire cognouerit, & hostibus nocitura sint, quàm primum reuertatur, & integros pro saucijs restituere curet, et pri mas cohortes robustiores semper reddat, additis totius exercitus fortißimis uiris, & multum prælijs assuetis.*

Victoria parta, quid agendum de hostibus.

Parta uictoria conseruare eos, qui in bello non immanes crudelesq; fuere, prudentis omnino Imperatoris *officium laudabile est.* Nam *quid irrationabilius, quid inhu*

manius contingere posset? imò truculentarum ferarum esset, quàm in milites sæuum admodũ & crudelem esse. Omnium nam profectò mortaliũ animos aduersus se exci taret huiusmodi pessimorũ morum Imperator: seq; prius omnia pati mallent, quàm sub eius crudele uenire imperium: urbes & oppida omnem potius sæuam belli fortunam tentabunt, quàm crudelem Imperatorem in dominũ habeant. Quare in milites facilem ac humanum se præstet Imperator, eos & honore & non uulgari prosequa tur liberalitate: & deniq; nihil omittat, quo sibi eorũ ani mos plurimum conciliare posit, & perpetuo obnoxios reddere. Meminerit tamen, ubi minus belli periculũ fuit, ibi minori uti uictoria, ne in re leui se nimiũ seuerũ præbeat: quod admodum ridiculum esset. neq; prudentissimi certè Imperatoris munere fungeretur, si maiori crudelitate in uictoria uteretur, quàm res ipsa exigat. Tẽpus igi tur & rem, adepta uictoria Imperator consulat, nõ iram crudelitatis sociam.

De fœderibus, & promissis etiam hostibus seruandis.

Quodcunq; Imperator cum ciuitatibus, uel regibus, uel principibus percusserit fœdus, illud inuiolatum semper custodire meminerit: nullisq; hostium cõtumelijs ad tantum facinus prolabatur, ut fidem fallat. Nam quid Imperatori, fluxa fide superest? omnibus odio, omnibus ter rori est, nullis in rebus ei unquã sincere adhibetur fides.

Quam

Quam ob rem non amicis modo, uerumetiam sæuis hostibus sancta fides seruāda: & promissa, recta fide, inuiolabiliterq́; custodienda sunt. Hoc omnes prudētißimi Imperatores, *& optimi fecere uiri: imò multoties Scipio ille Africanus induciarū tempore à Carthaginensibus, multis & grauibus affectus contumelijs, abstinuit ob ipsius &* Popu. Rom. *dignitatem, ab iniuria penitus: uolens fidem, quæ ipsi minimè à Carthaginensibus, singulari perfidia uiris, seruabatur, inuiolatam intactamq́; custodire: memor, seruorum fraudes esse potius quàm liberorum.*

De officio Imperatoris in agendis rebus.

Optimi Imperatoris officiū est, uigilare, festinare, cuncta strenue obire. non somnus, non labor ullus, aut uoluptas eum proprio ab officio auocet: semper die, noctuq́; intentus, paratusq́; sit ad omnes callide nocendi hostibus occasiones, & suos amicos tutandi. Non parcat pecunijs *Imperator, ut quid hostes agant, quid'ue acturi sint, quotidie, uel si fieri posset, singulis ferè horis intelligat. nam à fidelibus exploratoribus hoc facile cognoscet: si illos magna sæpius donabit pecunia, & maioribus onerabit promißis. hæc est præcipua causa & cladem aliquam fugiendi, & uictoriam de hostibus cum gloria adipiscendi.*

De hostium exercitu fluminis transitum parante.

Si castra metari iuxta flumen contigerit, & ultra sit

hostium exercitus, qui transitum curet: debet Imperator *illis transitum liberum dare, fugam & timorem simulando. & cũ exercitus pars aliqua transducta fuerit, tunc totis uiribus illam aggrediatur: nam cum exercitus parte pugnando, facilius proculdubio quàm cum uniuerso uictor euadet, iuxtaq; transeuntes impedire, & transductos aggredi curet.*

De militibus terrore affectis.

Si Imperator *cum hostibus conflicturus, suum uiderit exercitum terrore affectum, pugnæ supersedere debet, aliam atq; aliam alienationis causam fingendo. nam stante in exercitu timore, hostes proculdubio uictores euadent: quoniam in bello audacia, & certa uincendi spes uictoriam adferre solet: timor autẽ fugam, & cædem. Caueat igitur* Imperator *exercitum timoris plenũ ad prælium deducere. nam proculdubio insignem aliquam accipiet cladem: sed pugnæ supersedendo, nitatur talem ex eorum mentibus terrorem euellere. multa dicat, plura fingat, eò deniq; tota eius dirigatur ratio, ut uictoriæ eis certam spem adferat, & metum tollat.*

De inopia cõmeatus in hostium exercitu.

Vbi hostium exercitus commeatus inopia laborat, pertinaciter à prælio abstinendum est: ut fame hostium exercitus conficiatur: & sic gloriosam de hostibus uictoriam sine tuorum militum sanguine cõsequêris. Nam obsessus

exercitus

exercitus prius omnia proculdubio experietur, quàm fame pereat. Sed prudens Imperator, & ad omnia exercitus sui commoda intentus, neq; hostiũ contumelijs, neq; suorũ militũ maledictis ad manus cũ hostiũ exercitu conferẽdas cogatur: rem potius, & eius diligẽtius exitũ considerans, quàm uerba, ut sapientis uiri officium est.

De prælio nisi ex necessitate non committendo.

Nunquam prælium committendũ est cum hostibus, nisi urgenti ex necessitate, aut opportunitate maxima. nam qui Imperatores, quoticscunq; ab hostibus pugnandi copia fit, ad prælium descendunt, haud difficile irretiuntur. Sunt enim omnino artis bellicæ imperiti, & fortunæ instabilitatem ignorant: quæ sese lætam, obsequiosamq; hominibus plerunq; præbet, ut eos paulo pòst infeliciores & magis miseros reddat. Nec hoc ignorauit Romanorũ *prudentissimus* Imperator Marius, *qui bis regis* Bocchi *exercitum fugasset, trucidassét'ue: tamen regi petenti inducias, cõpluribus ex præfectis exercitus sui repugnantibus, non negauit: memor instabilitatis fortunæ, quæ plerunq; uictos extollit, & uictores opprimit.*

De abstinendo à prælio, nisi prius positis insidijs.

Nunquã callidus Imperator ad præliũ descendat, nisi prius hostibus insidijs positis: quæ sunt potissimæ uictoriarum omniũ causæ. Absq; ijs ferè nunquam uictor euasit

Annibal. nam ubi aperto loco, & nudo ad insidiandum Romani exercitus et Carthaginenses inuicẽ arma cõtulere, omni ferè in certamine Romani multo superiores fuere. Quare locũ semper ad insidiandum eligat Imperator: namq; absq; illis nunq̃ incruentã adipiscetur uictoriam: & fortasse aliquando turpiter & infeliciter opprimetur.

Quid agendum, ut hostes sibi persuadeant eorum interfectum Imperatorem.

Cum inuicem cõgreßi sunt exercitus, & Mars omnia regit, tunc ad hostibus terrorem incutiendum, mittatur aliquis non eorum linguæ ignarus, qui clara uoce clamet, frustra eos pugnare: eorũ nanq; Imperatorem nunc nunc interfectũ fuisse. & ijs utatur uerbis in ea exercitus parte, ubi non est Imperator, ut proniores sint ad credendum milites, & ad timendum, & maximè cum prælium hoc in se mali habeat, ut ibi oriatur nemo, moriantur autem complures, & fortiores plerunq;, ac magis audaces. Facilius hoc igitur eis persuadebitur, & terror inferetur: quo proculdubio existente, & animi & corporis uires ilico illis deficient, & terga dabũt, seseq; hostibus ueluti pecora trucidandos præbebunt.

De conseruatione agrorum, ac oppidorum.

Debet prudens Imperator contumelijs etiã maximis laceßitus, abstinere ab eius prouinciæ agrorum & oppidorum uastatione, cui imperare desiderat. hoc enim pacto mirum

mirum immodum sibi Prouincialium animos conciliabit; & crudelitatis certe aufugiet, & facilitatis ac clementiæ nomen adipiscetur. Se enim diligi, & amari ab Imperatore sibi facile persuadebunt Prouinciales, cum ab eorum uastatione agrorũ abstinebitur: et non de diuitijs cum illis, sed de Imperio contendi sibi persuadebunt. Nam nulli dubium est, sola subditorum beneuolentia Imperia conseruari & augeri, non exercitibus, non thesauris. Præcipiat igitur militibus suis Imperator, ne aliqua in ea prouincia crudelitate utantur, cui dominari cupit. Ciues & nobiles captos non gratis modo, uerum & donatos magnificè, benignè dimittat: & deniq; nihil, quo sibi Prouincialium animos maximè conciliet, omittat.

Quod in hostium agro habendus sit exercitus.

Exercitus in hostium agro omni cura, omni studio habendus est, & inde uictus exercitui quantum maximè fieri poterit, suppeditandus, et amicis omnino parcendum. nam in hostium agro castrametando, & eorũ animus certè frangitur, & amicorum augetur. Nobisq; exemplo sit callidißimus Annibal, Carthaginensium Imperator: qui manifestè uidens, quantum expediret in hostiũ agro exercitum habere, ex Hispania usque per tot immensos labores, & maxima ac innumerabilia pericula in Italiam milites suos duxit, quam totam ferè incendio & ferro uastauit, magnamq; ipsius partem cœpit. Scipio quoq; eius-

dem consilij nõ ignarus, in Africam Romanum *traduxit exercitum, & Carthaginem in deditionem accepit.*

Quid agendum cum in hyeme manus conserturi sumus.

In aspera hyeme sumẽdus est cibus antequam ad prælium descendamus. nam ad frigus repellendum à corporibus, optimum est remediũ delicatus cibus potusq́; . Et *nobis manifesto sit exemplo* Romanorũ *insignis clades illa apud* Trebeã *flumen, quæ* Romanũ *penè funditus euertit imperiũ. nam præcipua ipsius cladis causa fuit, quod* Imperator *milites ieiunos, & nimia pugnandi cupiditate in aspera hyeme ad prælium deduxit: qua ex re omnes penè magis frigore, quàm hostium armis oppugnati fuere. Caueant igitur* Imperatores, *in hyeme non prius milites suos in prælium deducere, quàm optimis cibis & calidis refecti fuerint.* Hoc *enim pacto quàm facillime uictor euadet, & maximè prælium in longum trahens ieiunis hostibus uires deficiẽt: militibus autem optimo potu ciboq́; refectis, integra die uires ad pugnandũ ualidæ existent.*

De uoluptatibus exercitui & Imperatori fugiendis.

Quod corporis uoluptates perniciosæ sint exercitui, & omne ei animi & corporis robur auferant, exemplo nobis manifesto sit robustus et inuictus ille Annibalis *exercitus: qui post hybernas* Capuanas, *omne & animi & corporis robur penè amisit. nam uoluptatum omniũ ma-*

ter

ter erat Capua, adeò ut sæpe testatus sit Annibal militibus suis, & exprobrauerit aliquando, se non eundem exercitum habere, quem prius habuerat, antequam illum deduxisset. nec aliud certè fuit in causa, nisi quia Capuanæ illæ deliciæ, corpora animosq; uiriles effœminauerant. Caueant igitur Imperatores, ne exercitus sui magis à uoluptatibus, quàm ab hostibus uincantur: quod turpe admodum & ignominiosum esset. Spartana ciuitas diu ciuium suorum oculos ab Asiæ aspectu retraxit, quia inde omnes manare delicias, certa animi & corporis uenena perniciosa cognoscebat: quanto facilior esset uirtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad uirtutē transitus non ignorabat.

De eligendo locum ad pugnam, quo & sol & puluis noceant hostibus.

L*ocum etiam pugnæ idoneum & sibi opportunū adipiscatur Imperator. Nam ut sol ex opposito hostibus ueniat, prospiciat Imperator: & si locus arenosus fuerit, uel nimiū ob æstatis feruorem aridus, expectet tempus quo à tergo exercitus sui uētus flare incipiat. nam ex frequenti equorū concursu magna excitabitur puluis, quam uentus postea in hostium ora inferet, et eorum ad pugnandū prospectum impediet. Hæc fuit præcipua causa Romanorum insignis illius Cannensis cladis.*

De tempore non frustra amittendo.

Nil charius tempore prudenti Imperatori esse debet,

cupienti res magnas, & immortali dignas gloria gerere, nam fugienda ab omnibus mora, semper damnum, & ingens quidem plerunq; mortalibus adferre solet. Quare omnia illi sollicitudine maxima & frequenti studio peragenda sunt. nobisq; exemplo sit Annibal ille prudentißimus Carthaginẽsium Imperator, qui magna pecunia transitum in Italiam comparauit, ut celerius iter conficeret. Fecit & hoc quidem Romanorum Imperator, & amicis hoc illi exprobrantibus, non iter: sed quo nihil charius est in hoc mundo, res magnas gerere cupientibus, tempus se ab illis redemisse affirmauit.

De beneficijs & maleficijs ab Imperatore remunerandis & puniendis.

Si quis in exercitu deliquerit, in puniẽdo mitis sit Imperator, in remunerando uerò largus, si quod ab aliquo beneficium acceperit: ut & ipsos, & cæteros milites eius exemplo promptiores ad omnia pericula habeant. Nam fortes & strenui uiri segniores fiũt, ubi nulla est beneficiorum remuneratio. Studeat ergo Imperator maximè liberalis esse, atque munificus: absq; qua uirtute nihil unquam magna laude, & perpetua dignũ gloria geret, nullus unquàm exercitus ei affectus erit, omnia semper illi in deterius procedent, nobisq; exemplo sit ditißimus ille Perses Rex, qui dum pecuniæ nimium studium haberet, ac parceret, pecunijs pariter ac regno à Romanis turpiter ac miserrimè spoliatus est.

Quid

Quid agendum ab eo, qui expeditum habet exercitum.

Qui expeditum habet exercitum, grauem armis & onustum, nunquam quietũ relinquere debet, sed continuis incursionibus illum die noctuq; infestare, & cõtinua molestia, terrore'ue illum carpendo afficere, neque cibum, neq; potum capere absque molestia eum pati, & in extremam deniq; deducere desperationem. Nec hoc ignorauit *Sertorius ille artis bellicæ peritißimus ac callidißimus* Imperator: *qui expedito exercitu* Pompeium *continuo inquietando ad maximã deduxit desperationẽ.* Haud *inutile hoc erit consilium. nam hostiũ exercitum carpere expedito exercitu tuo frequẽter poteris, tuum autem ille nunquã. Si igitur te grauis armis exercitus persequatur, te capere nõ poterit: at tu illi è contra fesso frequenter insultari poteris, & citò ferire hostem, & aufugere.* Prode*rit ergo* Italo *exercitui, equos orientales complures habere, & illis hostes proculdubio uictos semper dabit.*

Quod exempla ad militum exhortationem prosint.

Quantum ad exhortandum milites exempla ipsa moueant, Sertorius Patritius Romanus & Imperator *callidißimus nobis manifesto sit exemplo: qui non ualens barbarorum impetum, quorum tunc aduersus* Romanos Im*perator erat, ratione refrenare, postquã ex illis multi crudeliter à* Romanis *trucidati, cõplures uero uulnerati fuere,*

re, uolens illorum deiectos animos consolari, & amissas clade uires restituere: duos equos in uniuersi exercitus conspectum adducere fecit, alterum macie confectum, alterum pinguem & robustum. & prioris caudæ uirum fortem adiunxit, alterius uero debilem. Sed uir robustus uniuersam caudam simul euellere totis conabatur uiribus, et nihil unquam inde extrahere potuit. debilis autē uniuersam paulatim setas euellēdo extirpauit. Et ignorāti exercitui quid hoc uellet, prudentissimis ille uerbis manifestè declarauit. quare post utile exemplum illud eos in futurum obedientes habuit semper.

Ne quid iniussu Imperatoris in exercitu agatur.

In exercitu absq; Imperatoris decreto neque somnus, neq; cibus capiatur: & deniq; nihil iniussu eius agatur, sed omnia optimi Imperatoris mente ac cōsilio. Hoc enim pacto res exercitus melius procedent semper.

De cohibendis nonnunquam militibus à prælio.

Retinendi sunt nonnunq̄ milites, cum hostibus manus conserere cupientes, nec frustra hoc erit consilium. Nam ad pugnā alacriores & promptiores postmodū fient, & maioribus quàm prius uiribus prælium acriter inibunt.

Contra hostium desperationem non est pugnandum.

Vbi uidemus hostes nulla salutis propriæ ratione habita,

bita, sed immanium potius ferarum more contra nos sæuientes uenire, utile erit, aliquantulum eorum cedere furori: etiam si mulitudine et militum uirtute illis præstaremus: imò si clausi essent, nõ illis tantum ad fugam aperienda esset uia, uerũ & munienda. quia nihil leuius, nihil stultius, quàm cum cupientibus mori, pugnare.

Quid agendũ, ubi timetur, ne ob gementiũ & machinarũ strepitũ milites terrore afficiantur.

Si timetur, ne ob nimium machinarũ & gementiũ strepitũ milites magno afficiantur terrore: qua ex re & animi & corporis uires amittant: cõsilium salubre est, ut militum aures aliqua obturentur materia, & sic absq; metu ullo ad prælium attenti erunt, neq; uulneratorum gemitus, neq; machinarũ strepitus exaudiẽtur, quibus milites terrore affici poßint. Nec hodie hoc inutile erit consilium cõtra Teutones, qui magno pilulariorũ numero utuntur.

Quid agendum, ubi hostium exercitus sagittarijs abundat.

Vbi in hostium exercitu magnus est Sagittariorũ numerus, contra ipsos scutarij ponatur, quod in exercitibus orientalibus frequenter contingit. Hoc enim pacto tutus erit exercitus.

Quid agendũ ante urbis oppugnationem.

Priusquam ad urbem cum exercitu oppugnandam accedamus, consiliũ est, ut ipsius urbis ciues & primates benignis uerbis, etiam sitibundus diuitiarũ populus libera-

litate

litate ac munificentia ad deditionem prouocentur. Nam *magna est* Imperatoris *gloria, & fauor apud milites non uulgaris, optatam uictoriam sine ullo militum suorũ sanguine consequi.*

De impetu ab Imperatore fugiendo.

Inconsultus & furibundus impetus in bello non conuenit prudenti Imperatori, *aut artis bellicæ perito exercitui. quare illum prorsus tanquam exitialem exercitui pestem fugiant: aliàs quàm facillimè ab hostibus uincentur, & ueluti pecora omnes crudeliter trucidabuntur.*

Consilium ad capiendum peditatum.

E*quitatus peditatum, qui se in angustis locis, aut montuosis nimis & asperis cõtinent, quò haud facile est equitibus accedere, sensim cedendò, timorem & fugam callidè simulando in planum deducant.* Hoc enim *pacto ad unum omnes pedites capientur, & trucidabuntur.*

Consilium ad pilularios inutiles reddendum.

S*olent hoc tempore &* Galli *&* Theutones *magnum semper in suis exercitibus pilulariorum numerum habere, qui hostium exercitus magno potius semper afficiunt incommodo.* Q*uare consilium est, ut exercitus, qui illis caret, humido maximè tempore, aut pluuiali, exercitum pilularijs abundantem strenue adoriatur.* Nam *his temporibus inutiles sunt omnino huiusmodi milites.*

De officio

De officio Imperatoris in diſtribuendo militaria opera.

Imperator militaria opera inter ſtrenuos exercitus ſui præfectos ita prudenter & ordinate diſtribuat, ut nihil ei amplius laboris ſuperſit; niſi in hoſtium conſilijs mature callideq; explorandis, & proſpiciendo, an diligēter & impigre quiſq; ſibi cōmiſſam exequatur operā.

De abſtinendo à diuitijs & imperio poſt uictoriam.

Antiquis regibus, diuinis profecto uiris, ſatis ſuperq; uidebatur, hoſtes fudiſſe, proſtrauiſſéue: imperio aūt glorioſa contenti uictoria, pertinaciter abſtinebant, ne pro fluxis diuitijs, aut perituro imperio, quarum rerum cauſſa ſæua inter mortales exiſtere bella plerunq; conſueuere: ſed pro immortali gloria armis certaſſe uiderentur. digni profecto uiri, quorum fama nullo claudatur æuo, ſed cæteris potius dignum perpetuo ſint exemplar, & ſplendidiſsimum ſimulacrum quoddam uirtutis, quod intuentes facile cū eorum immortali gloria imitari poſsint. Sed noſtræ ætatis regibus & principib. & Chriſtianis (quod ſine dolore fari non licet) heu quàm diuerſa mens eſt. Dimittant igitur ocu'os Chriſtianorum reges & principes, rubore genæ aſpergantur, cum legunt, aut audiunt, Paganorum reges & principes, Chriſtianis nomine tamen, & non operibus, meliores fuiſſe in omni uirtutis genere.

Vt cogantur milites pugnare.

Cum timetur, ne milites in prælio turpem fortasse arripiant fugam, consilium est, ut robusta à tergo exercitus ponatur acies, quæ fugientes milites uiriliter excipiat, et crudeliter trucidet in uniuersi exercitus conspectu. hoc cunctis edicatur militibus, ut fugæ spe omni relicta, fortiter cum hostibus pugnare cogantur, & desperatio illis addatur: quæ una profecto est uictis salus.

Ad domandum feroces populos.

Si qui sunt populi nimium fortasse feroces & bellicosi, quiq; uiros graui aliquo incommodo afficere poßint, optimum erit illis equos & arma, belli instrumenta, eorumq; usum adimere. Quid enim mala mens, malus'ue animus sine armis uobis obesse poterunt? Et hoc salubri utitur consilio Mahumetistanus pontifex ille maximus, qui Soldanus nũcupatur. Haudquaquã enim tot dites populos, tamq; innumerabilem hominũ multitudinem tam paucis militibus, & illis quidem uilißimis seruis, regere & imperio coërcere poßet, nisi equorum & armorũ iam per multos annos usus penitus interdictus fuiſſet illis.

De simulando fugam.

Proderit aliquando, optimo uino, delicatisq; epulis castra referta, simulata fuga relinquere, ac hostes fessos, & mero uino delicatisq; epulis maxime repletos, intempesta nocte aggredi. Nam proculdubio somno uinoq; sepulti reperientur, qua ex re indubitata inde, maxime incru-

incruento exercitu, uictoria reportabitur: nec frustra hoc erit consilium.

De gentibus laboris patientibus eligendis in milites.

Cum habetur ex prouincijs aut urbibus militum delectus, ex illis maxime haberi debet, in quibus homines duri laboris magis patiētes existūt. Nā segnes et molles, imbelles esse haud dubiū est: laboris aūt maxime patientes, in fortes ac strenuos euasuros proculdubio credendū est.

De exercitatione.

Quantum in se boni habeat frequens exercitatio, ex Romanis totius orbis domitoribus facile est dignosci, qui omnibus ex gentibus soli pacis & quietis tempore milites suos se exercere, & militarem disciplinam custodire maxime cogebāt: nec immerito totius orbis domini euasere. quæ enim est ars ulla, quæ absq; continua ferè exercitatione conseruari poßit? nónne ipsam quoq; naturā uincit exercitatio, quæ fœminas natura imbelles, uiriles, pugnacesq; maxime facit? & hoc ex bellicosißimis Amazonibus, & alijs quæ sese in armis exercuere, facile est scire. Cogat igitur Imperator milites suos quotidie se exercere, ne cum uere prælium inibunt perhorrescant arma. Sed nónne ex re nomen assumpsit exercitus?

Victis hostibus quid agendum.

Si contigerit hostium exercitum interire, non inutile erit consilium, armis eorum & uestibus arreptis, cele-

lerrimo cursu hostium urbem petere. quia fortasse armorum & uestium genere decepti, haud difficulter capientur: aut inopinata re territi, & inopes consilij, sese & urbem hostibus dedent.

Vbi cum multitudine paucitati pugnandum est.

Frequenter accidit, aut clade aliqua accepta, aut impotentia, paucitati cũ multitudine pugnandũ esse. Quare non inutile consilium erit, nocte hostium castra aggredi: quæ fortaßis etiam uigilijs neglecta ob nimium hostium paucitatis contemptum reperientur: & belli fortunam tentare, quæ plerunq; sese facile tentantibus obsequiosam præstare consueuit, & qui sua tueri nequeunt, nonnunquam aliena oppugnantibus fauet. Hoc *consilium in* Hispania *feroces* Carthaginensium *animos, ob* Scipionum *cum maiori exercitus parte interitum exultantes obtudit. Vnius nanq;* Romani *exercitus reliquijs, tres magni & robustißimi* Carthaginensium *exercitus nocte una fusi, fugati, prostratiq; fuere: quæ* Carthaginensium *clades proculdubio fuit* Romanis Hispanias *cõseruandi præcipua, post infelicem* Scipionum *interitum, causa.* Neceßi*tate igitur aliquando coactis, tale capitur consilium.*

Quomodo milites dormire debeant.

Milites sine stramento dormire omnino assuescant: ut sponte incipiant ad id assuefieri, quod ipsa frequenter necesßitate coacti pati necesse habebunt. Et *quid est perfe-*

ctrice

ctrice rerum omnium assuetudine maius? cum nihil certe durum aut asperum aßuetis uideatur. Patientia igitur utantur, quæ sola profecto ad perfectionē omnia redigit.

De inducenda hostibus proditionis suspectione.

Si quis hostium singulari prudentia sua, multum consilijs nostris officiat, non ab re erit, illum uel eius principi, uel ciuibus in maximam proditionis suspicionem, aliqua inducere calliditate. Exempli igitur gratia, duas hic breuibus referamus: una erit, in agrorum depopulatione abstinere ab eius ciuis agris, quem Reipub. suæ proditionis maxime suspectum reddere uolumus. qua usus est Annibal ille Carthaginiensis aduersus Qu. Fabium Max. Romanorum imperatorem, uel conseruatorem potius. Altera erit, ex suis aliquem singulari prudentia uirum ad eum mittere, quem suspectum hostibus reddere uolumus: qui frequenter eum conueniat. quæ res facile eum in fraudis suspicionem uel principi, uel eius conciuibus inducet: qua usi sunt calliditate Romani aduersus Annibalem. uel aliam pro tempore & loco ad hanc rem idoneam inuenire: ueluti fingere literas, in quibus de proditione aliqua tractetur inter ipsum, & ciuem illum seu Imperatorem hostium, curareq; ut literæ illæ ad hostium Principum manus perueniant. Hoc tamen stratagema neq; laudo, neque probo: nisi de totius Imperij internitie ageretur.

De auxilijs suspectis consilio recipiendis.

Bella gerentes ferè semper à confœderatis, uel tributarijs auxilia petere consueuere, uel externa conducere, quæ res multotiens sæua pestis, & certa pernicies complurium exercituum fuit. Nam dum illis nimium confidunt, & prælia acriter ineunt, & tanquã uictores exultant, paulopost aut deseruntur ab auxilijs, aut in illos arma conuertunt. Quare parua conducantur auxilia, & illa quidem quàm minime suspecta. Hæc fuit causa interitus Scipionum in Hispania. nam dum nimium Hispanis confidunt auxilijs, & illis fidem habent, exercitum per se inuictum sibi fratres diuisere, postquàm paulo ambo duces & eorum exercitus fugati, obtruncatiq; fuere.

De dissensione inter milites sedanda.

Si qua inter milites atrox oriatur dissensio, quod frequẽter magnis in exercitibus euenire solet, ob factiones, quæ plerunq; in eis uigere solent: consilium tunc est, ut omnes ad pacem & concordiam redigantur, coganturq; iureiurando firmare se perpetuo iniurias oblituros, neq; re, neq; uerbis se aliter in futurum sentire ostensuros.

Quo tempore diripiantur oppida & urbes.

Si urbes & oppida absq; ullo militũ sanguine acquiri possent, maximæ hoc Imperatori gloriæ apud milites suos cederet: apud hostes uero terrori esset, quod singulari prudentia sua incruento exercitu tanta potitus esset uictoria.

uictoria. milites quoq; suos ad quæcunq; etiam difficillima opera peragenda, magna Imperatoris peritia confisos, promptos, paratosq; in posterum habebit semper. Quare omnia prius experiri consilio, quàm armis, prudentem decet Imperatorem, quo maiora ferè semper geruntur bella, quàm uiribus. nocte igitur, & imbre cadente, urbes & oppida maxime capientur, diripienturq;.

Quantum præsentia Imperatoris ualeat.

Quantum Imperatoris præsentia in prælio expediat, omnes qui alicuius sunt consilij et rationis, clare intelligunt atq; cognoscunt. nam & milites, & eorum ductores cum uerecūdia, tum Imperatoris timore ad omnia strenue peragenda impigre mouentur: nonnulli etiam maxima spe præmij & gratiæ Imperatoris consequendæ, diligenter omnia administrant: frequenterq; à militibus segniter destituta, ab Imperatore fortiter redintegrātur prælia: nihil in eis ubiq; relinquitur inexpertum, belli fortuna in omnibus tentatur: præsentia Imperatoris, & uerba adhortantia ac minantia nonnunquam militibus animum & uires augent, se inuicem milites fortitudine superare contendunt, manifestum uitæ periculum subire minime recusant, dummodo in Imperatoris conspectu egregium aliquod edant facinus. Nulla igitur res magna & perpetua digna memoria absque Imperatoris præsentia unquam certe geretur.

De hostium superabundantia.

Si forte eueniat potentatum aliquem à cõpluribus pre mi, adeo ut eorum uis nequaquam ab eo sustineri poßit, consilium erit, ut cum alijs pacem, cum alijs inducias faciat, & sic imperij sui interitus periculum euadet. nam cum tot unius petunt imperium, facile est eorũ aliquem, aut magnis pollicitationibus, aut pecunijs saltem à prouincia auertere. & præcipue hac tempestate, qua nõ pro gloria, sed pro diuitijs bella geruntur: & auri, & argenti uniuersus maxime orbis sitibundus est.

De humilibus & superbis hostibus.

Aliquando leui ex causa sæua inter mortales oriuntur bella. qua ex re, si illi, cõtra quos arma sumpserimus, humiles & supplices sese nobis præbeant: mites, & non crudeles erga eos nos præstare debemus. quid enim nefanda crudelitate in hominum uita deterius contingere potest, quodq; nos magis immitium ferarum similes omnino reddat? sed ad huius mundi gloriam & famam, nec non & ad Imperia augenda, & cõseruanda magis obsit? Quare illã nõ minus, quàm sæuã beluã fugere debemus.

De bello periculoso.

Grauia & periculosa bella plerunq; inter mortales oriuntur: qua ex re tunc maiori cura, & feruentiori studio omnia ad bellum gerendum præparari debent. Præsertim milites ueterani, non tyrones ad talia bella eligi debent. nam ueterani bellorum usum maxime callentes, nec

nudos

nudos perhorreſcunt enſes,aut illata reformidant uulnera, ueteris gloriæ & laudis conſeruandæ & augendæ gratia: omnia inuicto & forti animo ferunt, prudentia etiam & artis bellicæ peritia: & quæ ſibi utilia ſunt, & quæ aduerſa facile dignoſcunt.unde aut uincere,aut uitam cum gloria fortiter finire cogitant: quod generoſo animo uiris ſemper ineſſe debet.

A teneris aſſueſcant futuri milites.

*Debent à teneris aſſueſcere,qui militiam exercere exoptant.nam ſi puer equos & aſcendere uelociter, & deſcendere didicerit,necnon & calcaribus agitare, procul dubio in optimum euadet militē.arcus,ſclopetos, & ſcorpiones attrectare à teneris etiam aſſueſcat,necnon & enſem,parmam & lanceam ferre, & ad imaginem & ſimilitudinem ueræ pugnæ aliquando inuicem concurrat: ut cum ad adoleſcentiam peruenerit,magna ex illo refulgeat uirtus,& rei militaris peritia.omnes etiam graues corporis labores,qui alijs intolerabiles eſſent, ei leues uidebuntur, ſi illis à teneris uſque annis fuerit aſſuetus.*Nam *humi quieſcere, & eodem tempore famem pati, felicitatem ſibi maximam ducet: & denique multum in ſe boni habet exercitatio in tenera ætate, ad quæcunq; etiam maxima peragenda negocia.*

De augendo fama hoſtiū exercitum.

Cum uulgaris fama eſt, magnum hoſtium exercitum aduerſus te aduenturum: augere debes apud milites tuos

eorum multitudinem, hoc ab exploratoribus tibi manifeste compertum esse asserendo: ut cognoscere poßis, quo uultu, & quo animo eos excepturi essent, si uere tanta esset hostium multitudo. hoc quàm multum proderit. Nam *cum ad pugnam peruenerint, & minorem esse hostium multitudinem, quàm animo iam conceperint, uiderint: animus & uires eis illico crescent: & qui antea de uictoria dubij erant, iam tanquam uictores cum hostibus prælium acriter inibunt, magna animi alacritate omne subibũt periculum, nihil arduum eis aut difficile uidebitur, ob iam conceptam in animo uictoriam obstinate omnia gerent.*

De præueniendis potentis uiri insidijs.

Vbi non temere times alicuius potentis uiri insidias, ne te ex improuiso aggrediatur, & tibi aut imperium auferat, aut urbes aliquas, aut uitam fortaßis eripiat ipsam, profecto nõ inutile erit consiliũ eũ præuenire, & ipsum aut interficere, aut eius urbes magna & inopinata ui aggredi: & sic quam parauit tibi fraudem, fraude repellere: ut in laqueos, quos ipse temere & impie posuit, cadat. nã humanæ & diuinæ leges, & deniq; natura ipsa malorũ mentium inimica, turpiter postmodum hoc permittit, ut quod quisq; ad sui tutelã fecerit, iure fecisse existimetur.

De habentibus barbam & cæsariem prolixas.

Homines aliquibus in prouincijs, & barbis prolixis nimium & capillis utuntur, quæ in prælio plerunq; obesse

esse, & multum quidem consueuere. Sūt enim optima retinacula ad capiendum homines & retinendum. Illas igitur quàm demisse tondere debemus, antequàm in præliū descendatur. nam paruæ quādoq; res in prælio magni interdū sunt momenti. Quare omnia, quæ nobis nocitura sint, & hostibus profutura, à nobis amouere debemus.

De agro potiundo, priusquam urbes uel oppida aggrediamur.

Non prius urbes, oppidáue aggredi debemus, quàm uniuersum urbis uel oppidi agrum in nostram redegerimus ditionem. nam si agri partem urbs uel oppidum in sua habeat potestate, haud facile capiētur: sed diutius frustra ibi tempus teretur, quo fortaßis & maiores urbes & oppida caperentur. & hoc consilio semper uirilis spiritus mulieres usæ sunt Amazones, quæ non prius urbem aggrediebantur, quàm uniuerso potitæ essent agro.

De saucijs & interfectis callide occultandis.

Saucij & interfecti, & amicis terrorem, & hostibus animum mirum in modum augere solent. Quare ne hoc eueniat, Imperator summa cum diligentia & studio prospicere debet. quod facile euitabit, si interfectos & saucios, clam hostes, necnon & exercitum suum, aliquò miserit. Nā Philippo Macedoniæ regi plurimum nocuisse cōpertum fuit, interfectos à Romanorum præcursoribus ipsius exercitui temere uidendos reliquisse. nā tantus illi

co terror ob ingẽtia illata uulnera uniuersum cepit exercitum, ut omnia pati mallent, quàm cum Romanis *confligere.* Et *in hoc regis imperitia multum adnotata fuit, & parũ post se errasse cognouit.* Nec *hoc ignorant* Turcæ, *hac tempestate artis bellicæ peritißimi uiri: qui in prælio interfectos comburunt, ut neq; hostibus lætitiam pariant, aut amicis terrorem incutiant.*

De precibus humilium exaudiendis.

Humilium preces Imperator *nullo pacto reijcere debet, sed benigne & humane exaudire semper. quid enim humanitate & clementia in* Imperatore *laudabilius, ac præclarius? quóque & populorum, & hostium iratos animos sibi magis conciliet?* Nónne Scipio *ille Africanus singulari, uel potius diuina clemẽtia sua, in* Hispania *atrocius aduersus* Carthaginenses, *quàm armis bellum geßit, & sua etiam cum immortali gloria confecit? nónne & cœlestis* Cæsaris *clementia eũ magis, quàm eius gloriosa gesta immortalem reddidit, & uniuerso orbi admirabilẽ fecit?* Amplectamini *igitur totis uiribus humanitatem, & clementiam: quod humani certe generis proprium est.*

De crudelitate in belli initio exercenda.

In *belli principio plerunque laudatur crudelitas. nam & munitißimas quoque urbes, & oppida multoties ad deditionem ipse tantum crudelitatis timor compellit, quo amoto nulla urbs, nullum oppidum & immunitum quidem esset, quod non uariam belli fortunam experiri uellet.*

uellet: quæ ex re magnum Imperatori & exercitui, uel maximum potius incommodum afferetur. Et hoc belli consilio est usus Romanorum prudentißimus Imperator Metellus, dum aduersus Iugurtham in Numidia bellum gereret. Sed quid dico de Metello? cũ omnes sapientißimi Imperatores hoc usi sint consilio, & utentur, donec sæua inter mortales bella erunt.

De Imperio audacia conseruando.

Quonam pacto Imperia mortales prudenter administrare debeant, in libello nostro, qui de Imperij administratione inscribitur, breuiter, satisq; commode, quæ magis necessaria uidebantur, retulimus. nũc uero unum con seruandi modũ nõ inutilem hic referemus. Nam ferè semper contingit, succeßione ad Imperia perueniri: & quia noui sunt in Imperio, & iuuenes aliquando successores, ideo frequenter à uicinis & regibus, & principibus hostiliter inuaduntur. Consilium igitur erit, ut in principio regiminis, audacia & animi magnitudine conseruent regnum. hoc enim pacto & subditis animum mirum in modum augebunt, & grauem hostibus terrorem incutient. nec hoc ignorauit Alexander, ille domitor orbis, Macedoniæ rex: qui cum admodum iuuenis à Philippo rege relictus esset, audacia, & animi magnitudine imperium aduersus se rebellantes retinuit: cum tamen aliter à consiliarijs & domesticis suis admoneretur.

De

De castitate in bello seruanda.

Castitas in bello adeo ab omnibus summopere approbatur, ut absq; ea nullus dignus aut sit, aut habitus Imperator, nullus magnum Imperatoris nomen mereatur. nã cui & appetitus & libido, pernitiosæ beluæ, dominãtur, quó nam pacto alijs imperare potest? Imitetur, inquam, Alexandrum inuictum Macedoniæ regem, qui non à coitu modo, insigni forma filiarum potentissimi regis Persarum, quas captiuas habebat, uerum et à uisu abstinuit. nec non & Scipionem illum Africanum felicissimum Romanorum Imperatorem, qui ob singularem eius castitatem in Hispania immortale meruit nomen. Sed nónne castra ideo dicta sunt, quia caste in illis uiuatur? Omittamus bonam, quam ex illa certe consequimur, famam: respiciamus utilitatẽ. Nónne luxuria uires eneruat, ingenium tollit, memoriam minuit, uisum hebetat, & auditum deniq; arctat? quæ in bello quàm necessaria sint, tu cogita.

De cauillationibus in periculis utendis ab Imperatore.

Solent prudẽtissimi Imperatores maximis sæpe in periculis uti cauillationibus, ut tollant militibus terrorem. nam his utendo, se parui facere uidentur, quod ipsi tanto pere milites timent. Quamobrem nimia ex Imperatoris fiducia metũ deponunt, & ingentes recipiunt spiritus. et ijs usus est magnus ille Imperator Annibal Carthaginiensis, cum primum in Italia cum Romanis cõflixit. usus est

etiam

etiam Alexander Macedo, in secundo & magno illo cum rege Persarum conflictu. Nā amico monenti, cur in tam maximo omniū periculo tantū somno indulgeret, hilari uultu respondit: An nescis nos uicisse? quæ uox totū peragrauit exercitum, certamq; illis uictoriæ spem dedit.

De militibus male dicentibus de Imperatore.

Solent plerunq; milites, & strenui quoq;, in exercitu de Imperatore *male dicere, quia fortaßis non ita ab eo diliguntur, aut dignis afficiuntur præmijs, ut se mereri existimant.* Quare Imperator *non illis irasci debet, sed liberalitate potius in eos uti. nam maioribus eum postea laudibus prosequentur, quàm cæteri milites, magisq; promptos omnibus in periculis certe habebit.* Fortes igitur *milites leui de caußa prudens* Imperator *minime perdat, sed illos omni potius studio seruet.*

Quibus hortandi sunt milites.

Labore, non ui, hortandos esse milites, Marius *toties strenui exercitus* Romanorum *felix* Imperator, *manifesto nobis sit exemplo, qui immensos ferè quotidie patiebatur labores, ut illis potius, quàm ui milites suos ad laborandū cogeret.* Nam *cū uiderent* Imperatorem *suū tot intolerabiles pati labores, uerecūdia profecto ducebantur: quin & ipsi libēti animo et tales, et minores paterētur. et optima ducebatur ratione* Marius: *quia quó nā pacto in bellis* Imperator *somno gulæq; indulgēs, ad fortitudinē,*

casti-

castitatem, uigilantiam, abstinentiamq; exercitum suum hortari poterit? Irridebunt enim talem Imperatorem milites, qui quibus uitijs maxime laboret, eisdem alios arguere & corrigere uelit. Imperator igitur, qui alijs imperare uult, sibiipsi prius imperet: quod si fecerit, pro certo habeat, uniuersum exercitum illi libenti animo omnibus semper in rebus obtemperaturum.

De modo conciliandi sibi aliquam prouinciam.

Imperator utendo & moribus & uestibus alicuius prouinciæ, sibi illam mirifice conciliabit. uidebitur enim illis quasi gente ex sua natus. Et hoc optime *usus est consilio* Alexander ille Macedo, *postquàm deuicto rege* Persarum, *imperium obtinuit. nam persicis & uestibus & moribus quantum potuit usus est: ut quos armis uicerat, hos sibi, eorum uestibus & moribus utendo, amore & beneuolentia deuinciret.*

Honore & liberalitate milites suos Imperator prosequi debet.

Imperator milites suos pro cuiusq; conditione & honore & liberalitate prosequi debet. Nam *cum se & dignis præmijs & honoribus ab* Imperatore *suo honestatos uidebunt, tunc profecto omnes etiam ingentes labores, & maxima pericula eis leuia uidebuntur, dum* Imperatoris *uoluntati faciãt satis: dulcem etiã sanguinem pro chari* Imperatoris *fama, spargere non dubitabunt: & nihil*

hil deniq; est, quod magis mortaliũ animos sibi conciliet, quàm liberalitas. honores autem sunt maximum uirtutis nutrimentum. non parcant pecunijs, non dignitatibus Imperatores, dum sibi militum animos concilient, & promptos ad omnia etiam maxima subeunda reddant.

Quid agendum, ubi timetur eruptio.

Vbi timetur eruptio, tam ex urbe quàm ex hostium exercitu, extra urbem erigendi sunt aggeres utrinq;, & turres ligneæ excitandæ, ut tutus exercitus ab utraq; parte sit. Nam eruptiones maxima plerunq; exercitibus incommoda afferre solent: imò quia frequenter ex improuiso accidunt, ad ultimam usq; perniciem exercitus adducere cõsueuere. tanta est inopinata eruptionis uis, qua penè uictus sæpe uictor euadit.

Quando exercitus est in periculo, quid agere debeat Imperator.

Imperator in maximo exercitus sui periculo, propriã obijcere uitã debet. Nam exercitus manifesto optimi Imperatoris discrimine ad fortitudinem fortasse excitabuntur, & ad propriæ uitæ cõtemptum. Quid enim illis spei superesset, amico interfecto Imperatore? quare tanquam omni destituti spe, magna desperatione certabunt: quæ est plerunq; certa exercituum salus.

Quibus acquiritur uulgi beneuolentia.

Epulis & largitione acquiritur uulgi beneuolentia. nam illis multum, plurimumq; delectantur. neq; se diligi,

aut amari putant, nisi frequenter in lauta uocentur conui uia. Nam uulgus, non quid honestum sit, sed quid sibi utile, quærit: qua cessante utilitate, omnis prorsus amicitia, omnis amor cessat. Nec hoc latuit Salustium, qui se potius ad scribendũ Pop. Rom. historias retulit, q̃ ad cõuiuijs populi gratiam quærendam animum applicare uoluisset.

De modo mittendi literas.

In castra & urbem, uel extrà, mitti possunt literæ sagittis alligatæ.

De modo alliciendi hostes ad transfugiendum.

Prudens Imperator aliquos ex suo exercitu & callidos uiros ad hostium animos tentandum mittere debet: summoq; studio ac diligentia per eos curare, an aliquos ex præfectis hostium exercitus, aut fortioribus militibus magnis pollicitationibus allicere posset ad defectionem: liberalitatemq; ac clementiam sui Imperatoris apud hostes extollere, quãtum possint, meminerint: & magnam, si deficient, illis pecuniam polliceãtur: necnon & quæcunque illis grata fore, uel iucundiora existimabunt.

De insignibus militum.

Milites omnes aliquibus debent insignibus ornari, ut ab hostibus facile dignoscantur, ne amicos pariter & inimicos incœpto prælio feriamus. quod plusquã facile euenire posset, ubi idem esset armorum genus, neq; ornatu aliquo amici ab inimicis discernerentur.

De

De Regibus, & cæteris Principibus fidem non seruantibus.

Reges, & cæteri potētes Principes, belli & pacis nominibus, nō ad iustitiam, quam solam colere deberent, sed ad propriam potius utuntur commoditatem: uel ut uerius dixerim, libidinē. Quis enim hodie ex Regibus & Principibus tam sanctus, tam iustus est, qui nō decies in die inuiolabilia fœdera, pacisq; leges rumperet: si certa illos spes teneret, posse uniuersum amici dominium occupare, uel eius saltem maiorem partem? Quare & ab amicis & ab inimicis æque cauendū est, ubi de imperio agitur. nullus enim magis, et frequēter quidē decipitur, q̄ qui nimiū fidem habet. Quare Princeps alteri Principi haud facile credat secretū. & quod nimis inscrutabile est cor hominis, semper se decipi putet: sic enim maximè tutus erit. omnibus prospiciat: neq; Reges, aut Principes se potētiores, munitißimas urbiū suarum arces ingredi patiatur.

De pessima uulgi natura.

Vulgi cōtemnibilis natura est, ut ad eos semper se conferat, ex quibus plus commodi & utilitatis speret: neminem, nec optimū quidē uirum, diligunt, à quo aliquid emolumenti se habere nō certa eos spes teneat. quod & si turpißimū quidē dictu, nedum factu sit, tamen mutabili eorū naturæ obsequendū est. quare genus istud capiendum conuiuijs est, blanditijs & liberalitate, nō minus quàm dulci esca pisces. Igitur prudentis imperatoris erit, nō minori

in imperio conseruando, quàm in acquirendo uti prudentia, uel maiori potius. hoc enim pacto firmius res suæ sese habebunt. Quod si secus fecerit, pro certo habeat, quod eius imperium ad prudentiorem transferetur.

De quodam munimenti genere.

Currus in terra positi defoßis rotis ante castra, & inuicem cathenis fortiter deuincti, est magnum munimentum. & hæc inter cætera castrorũ habebantur munimenta, quibus nullum est celerius: nam magnum curruum numerum secum semper adducere exercitus consueuere.

De quæstus dulcedine.

Quæstus maxima dulcedo, etiam imbelles, pugnaces & fortes facere cõsueuit. quare prudens apud exercitum suum Imperator, quantum potest uerbis extollere debet futurã hostium prædam, quam ingentem ex deuictis hostibus certè cõsecuturi sint: eosq; semper dites fore, si hoc uno prælio strenuè & fortiter sese gesserint: hunc diem omnium miseriarũ, & laborum suorum finem fore. proinde parato, intentoq; animo sint, & memoria hæc semper habentes, acriter prælium ineant, & in eo pugnando strenuè se gerant.

De inquieta & magna multitudine.

Vbi est magna & inquieta illa hominum multitudo, traducẽda est ad aliquod longinquum & difficile bellum, ne alicuius seditionis, & magnæ fortaße quidem, in prouincia causa sit: quæ plerunq; & magnas prouincias & opulentas

opulentas urbes funditus euertere consueuit. quare omni studio & diligentia curandum est, ut omnes seditionum causæ prorsus tollantur, ne cum ipsæ ortæ fuerint, magna postea ciuium pernicie tolli necesse sit.

De officio optimi Imperatoris.

Strenui & prudentis est Imperatoris, non superesse exercitui infeliciter interempto. quo enim uultu Imperator in fortißimorum uirorum conspectum uenire potest, cũ eo ductore uniuersus interẽptus sit exercitus? si enim male pugnatũ est, in quem, nisi in Imperatorẽ culpa trãsfertur, qui aut iniquo loco, aut parua manu, temere cum magna pugnauerit multitudine, aut cum hostibus peritioribus: cum non nisi ex magna occasione, aut ex neceßitate pugnandum sit.

De noua deditione.

In noua urbis uel prouinciæ deditione, ad alliciendum hominum animos ad beneuolentiam, omnia onera ad tempus remitti debent, necnon & carceres recludi, & libri condemnatorij comburi, & deniq; nullum genus aut liberalitatis aut humanitatis & clementiæ erga illos omitti debet, quo intelligere ualeant, illos miro amore, ineffabili charitate, ingentiq; beneuolentia prosequi.

De pœna Imperatoris exercitum deserentis.

Imperator sui desertor exercitus capite omnino puniendus est, ut eius pœna manifestum alteri sit exemplũ, debere eum potius in prælio strenuè pugnando cum ho-

nore & immortali gloria: quàm parum pòst cum dedecore, & magna infamia uitam turpiter finire.

De abstinendo à spolijs templorum.

Caueant milites, Dei optimi & maximi templa impie spoliare, ne illis fortiter irascatur. nam ex huiusmodi crudeli & sacrilega templorũ spoliatione, magna uel ingentia potius exercitus damna sequũtur: neq; ulla scripturæ memoria, aut diebus nostris unquam compertum fuit, aliquem exercitũ tantum nefas impune perpetrasse. A templorum ergo rapina non minus, quàm à mortalibus hostibus, & plus certè caueat. nam nullum est perniciosius in humano genere, & ineuitabilius, quàm Dei bellum.

De persequendis hostibus in fuga constitutis.

Vbi hostes turpiter terga dedere, sequenda est uictoria, si insidiarũ nulla extat suspicio, nec differendum. ne si postea à fuga se receperint, & muliebrẽ deposuerint timorem, illos postmodum in fugam turpiter uertant, & qui modo uictores erãt, uicti paulo pòst fugentur, prosternantur'ue. nam non uti fortuna, cum sese lætam tentantibus præbet, plurimum semper nocuisse compertum est.

De simulando fugam, & timorem.

Imperator si quem maximè idoneũ esse locum ad hostes comprimendos uiderit, utile erit, & metum & fugam callide simulare, donec in locum illum uniuersum hostium deduxerit exercitum, tuncq; eum & à tergo, &

à fronte,

à fronte, necnon & à lateribus acriter aggredi, & trucidare debet. Solentq́; frequenter huiuſmodi in inſidias incidere milites, qui in urbibus ad arcendas hoſtium incurſiones poſiti ſunt.

Quid agendum, ubi militibus magnum adeundum eſt periculum.

Vbi militibus magnum eſt neceſſe adire periculum, eligi ex eis debent, qui elato & interrito ſint animo, ipſosq́; præmijs & maioribus pollicitationibus ad ſubeunda alacri et forti animo maxima pericula adhortari: necnon & illis quātum ex uictoria illa gloriæ & immortalis famæ ac diuitiarum conſecuturi ſint, manifeſtè oſtendere. nullamq́; præterquàm in ipſis fortiſſimis uiris ſeſe ſpem habere iureiurando affirmet Imperator, eos & gloriam & honorem ſuū in manibus habere. Quare hæc omnia animo uoluentes, & priſtinæ memores uirtutis, ſe inde niſi uictores redire non cogitent.

De abſtinendo à proditionibus.

Imperatores, præfecti, necnon milites, gloriæ & famæ cupidi ſummopere, ne proditionibus utantur: quod facinus in terris profectò nefandū & execrabile eſt. nam et quos prodiderūt, exitiales perpetuo inimicos habebūt: et quibus prodiderūt odio ſemper et maximo timori erunt: ne iiſdem aduerſus ſe utantur fraudibus, quibus pro ſe uſi ſunt. ſi deficient igitur uiri iſti, deſinant tantum immortalis infamiæ crimen ſubire: quoniam huiuſmodi ex prodi-

tionibus maximũ omnium contrahitur odiũ, & ab omnibus digito certè notatur, & denique & uiui & mortui summa semper in infamia existunt. Videtis igitur nõ obscure, quales & quàm dulces sunt proditionis fructus.

De grauitate dicendi in Imperatore.

Grauitas dicendi, & uerborum ornatus plurimum in Imperatore commendantur, & necessario ferè requiruntur. nam ponderosis & ornatis utendo uerbis Imperator se omnibus præstat uenerabilem, & tanquam quoddam splendidæ uirtutis simulacrum, ac singularis prudentiæ: cum omnes milites maximè & admirantur & uenerantur. quam ob rem non palam iocosis & inanibus utantur uerbis, nisi inter maxima sibi familiaritate, & nõ uulgari amicitia coniunctos. sint enim ipsius uerba non lasciua, non temulenta; sed sapientiæ plena, & grauitatis, & deniq; tanquam sacra sint oracula.

De abstinendo à castrorum præda ante penitus deuictos hostes.

Ante penitus deuictos hostes uniuerso exercitui publico præcipiatur edicto, ut ab omni hostium præda abstineant se milites, & contrafacientibus grauis imponatur pœna. nam dum nimis intenti, auidiq; sunt ad lucrum milites, facile hostes sese recipere possent: & qui uicti modo terga dabant, uictores paulo pòst feliciter euadãt. Quare donec supersunt hostes, & aliqua in illis adhuc uis est,

à præda

à præda pertinaciter abstinendũ est, ne nimia ex uictoria lætitia, parum pòst in grauem mœstitiam conuertatur.

De abstinendo ab incendio.

Postquàm deuictis, & omnibus trucidatis hostibus, urbes ceperimus, illas destruere aut incendio consumere omnino inutile est. nam eas ad habitandum amicis concedere potius debemus, & nobis aliquando fortaßis maximum erunt refugium & commodum. res tamen & locus consilium prudenti dabunt Imperatori.

De ope uicinis ferenda.

Si uicinos magno præmi bello acciderit, illis omnibus subueniendum est uiribus, ut in uicinorum potius agro, quàm in proprio calamitosum bellum geratur. nam propinquæ domus ignem extinguere, est propriã certè conseruare. Cessent igitur peßima inter uicinos odia, ubi externa imminent bella, ne damnum uicini paulo pòst suum sit excidium.

Quantum prosit egregium aliquod, in hostium conspectu, facinus edere.

Magni, imò maximi est momẽti, in prælio ad celerem consequendam uictoriam, aliquod in conspectu hostium egregiũ edere facinus, siue optimus Imperator illud edat, siue ex exercitu quilibet alius. nam illius æmulatione uniuersus proculdubio accenditur exercitus ad gloriam: & hostibus minuuntur animi. quam ob rem omnibus ferè in uictorijs pauci strenui uiri illarũ causa semper extitere.

Curet igitur omni studio Imperator, aliquē excellenti for titudine uirum in excercitu habere, qui singulari certamine uir promptus & strenuus sit.

De bello etiā paruo nō contemnendo.

Nullum bellum, uel paruū quidem negligi debet. nam ex parua scintilla, quod nunquā putaris, magnū sæpe oritur incendiū. quare extinguendus est ignis, priusquā transeat in flammā. Igitur *& quàm primum, & omnibus uiribus paruo occurrendū est bello, ne in maius procedat: & difficilius tunc, & maiori cum periculo tam exercitus q̄ imperij sui tollatur. quare paruum bellum nō negligere, sed illi summo studio ac uigilantia occurrere debemus.*

De desidia Imperatori & cæteris fugienda militibus.

Imperator, & quilibet prudens præfectus, aut miles, non minus desidiā, imò plusquam letalem fugiat pestem. ea namq; corpus et animā, quo nihil maius, nihil excellentius, nec non & hominū gloriam penitus extinguit. at pestis corpus tantū, & breui omnino peritur ū. Quare Imperatores, præfecti & milites, illam neq; in pace, neq; in bello admittant, sed procul à se repellant, nullumq; cum sæua belua illa cōmertium habeant: imò illi perpetuo existant hostes. hæc enim secundis in rebus maxime mortales adoriri solet, qua nullum in prosperis pernitiosius bellum est. Nam quas plerunq; urbes bella nō euerterūt, desidia & ocium ex nimium secundis rebus deleuerūt: quæ

hoc in

hoc in se malum habent, ut non imprudentes tantum, uerum & sapientes praecipitare plerunq; cogant.

De inspicienda prouincia ab Imperatore, priusquã illam exercitu aggrediatur.

Prudens Imperator priusquã cum exercitu ad debellandam aliquam accedat prouinciam, ipsam proprijs diligenter accurateq; inspicere meminerit oculis, ut quo itinere tuto cũ exercitu proficisci queat, manifeste intelligat, necnõ et ubi hostilibus insidias tendere, uel sibi ab eis cauere poßit: et quas urbes, quae'ue oppida prius expugnare ad bellum perficiendũ illi maximè expediat: & deniq; omnia ad celerem ipsius prouinciae captiuitatem necessaria proprio ipse uisu diligenter cognoscat, ne ab exploratoribus aliquando, aut ignorantia, aut dolo fortasse decipiatur, & in insidias facile deducatur.

De nouo augendi Imperiũ modo.

Officium callidi Imperatoris aut regis est, beatae pacis et quietis tẽpore, suũ quantũ poßit nouis augere amicitijs imperiũ. Nec hoc Asdrubal prudẽtißimus Carthaginẽsiũ Imperator ignorauit. nã post primũ Punicũ bellum, multum Carthaginensiũ rem auxit, nouas acquirendo amicitias. Et hoc idẽ oẽs sapiẽtißimi et reges, et principes semper & accuratißime quidẽ fecere, & in praesenti faciũt.

Qualis Imperator esse debeat.

Debet strenuus Imperator in capescẽdis periculis plurimae audaciae esse, et inter ipsa pericula multi cõsilij. nam

quid

quid prodesset audacem Imperatorem, consilij expertem habere? cum alterum adeò alterius indiget auxilio, ut altero utro deficiente, nullus optimus habeatur Imperator: imò ignauus, & tali indignus honore, & cui imperari potius, quàm imperare decens sit.

Quid agendum in urbis oppugnatione.

Expedit maximè in munitißimæ urbis oppugnatione, generali Imperatoris edicto, uniuerso significare exercitui captæ urbis prædam militũ fore. ea enim dulci lucri spe omnes ad urbis oppugnationem accendentur milites, & robustiores fient: neq; ui ulla, nec maxima quidẽ, ab eius captiuitate arceri poterunt. tanta est mortalibus pessimi lucri auiditas, & insatiabilis cupiditas.

Consilium ad reddendum milites fideles.

Milites unius prouinciæ in aliam traducere, & exinde in illam, quædam sunt fidelitatis & maximæ fortitudinis pignora. nam qua audacia & fidelitate suam cupiunt defendi prouinciã, eadem & ipsorum maximè tuentur.

De immensa barbarorum auaritia.

Vt dulci esca pisces, ita fuluo barbari capiuntur auro: imò facilius. nam aurum & argentum, & gloriæ & famæ semper prætulere uiri illi. magnaq; in eorum auaritia nobis Italis spes est, etsi bellandi gloria & ars & sit & fuerit semper penes nos.

De modo

De modo traijciendi exercitum obſiſtentibus hoſtibus.

Cõtingit frequenter, exercitũ flumen traijcere neceſſe eſſe, ut hoſtium exercitus eius obſiſtat traductioni. modus igitur eſt, ut ratibus exercitus trãſportetur, ubi fabricandi pontem materia uel tempus deficiat. prius tamẽ longe ab hoſtium caſtris in ſuperiori, uel inferiori fluminis parte robuſtiſsimorum militum pars tranſducatur, ut à tergo hoſtium exercitum incautum, et nihil prorſus tale opinantẽ adoriatur. & dum intenti ſunt ad traiectionem impediendã, eos aggrediãtur, fugẽt, proſternãt'ue. Quare optimus eſt iſte incruento exercitu modus traijciendi.

De Imperatoris conſolatione, ubi milites deſperant.

Vbi milites nimum deſperant aut de uictoria, aut de itinere conficiendo, prudentis Imperatoris neceſſaria eſt diligens conſolatio: qua triſtitia illa, & timor ex eorum mente penitus tollatur, & alacriores fiant ad iter perficiendũ, uel ad prælium cum hoſtibus acriter ineundum.

De hoſtibus honorifice ſepeliendis.

Si contigerit hoſtes deuinci, illorum etiam iratos animos maximè ſibi conciliabit Imperator, ſi interfectorum cadauera honorificè ſepulturæ mandari curauerit. nam non exitiali odio contra ſe, ſed pro dulci gloria certaſſe manifeſte ex magnificis ſuorum militum exequijs cognoſcent. quare non poterunt Imperatorem illum tanta cle-

mentia uirum non amare, & humiliter obseruare: et quid me hercle in hac uita pietate, clementia, & misericordia laudabilius? quodq; magis mortalium animos ad se mirũ in modum & amandum, & obseruandum compellat.

Vbi maior est hostiũ exercitus, quid agendũ.

Si hostium exercitus & numero, & militum fortitudine multũ tuo præualet, nullo pacto cum illo manus conserendas esse tibi persuadeas: nunquã tamen illũ patiaris quietũ esse, sed die noctuq; expeditis militibus tuis, et fortißimis, cũ inquietũ reddas: ab uniuerso tamẽ prælio pertinaciter abstineas. Consiliũ tamen est, ubi hostiũ exercitus terra multũ præualet, mari aggrediendã rem esse, in qua aut tum præuales, aut res saltẽ æquis agitur uiribus.

De obsidibus accipiendis.

Obsides ex Primatibus alicuius prouinciæ uel urbis, quæ sponte uel ui se nobis dederunt, habere, ubi aliquis est defectionis timor, magnũ et insolubile est fidei uinculum. Nam nimio obsidũ amore pertinaciter in fide persistent.

De arcendo mulierum ploratu.

Tristes mulierum ploratus in urbibus summo studio & diligentia arcendi sunt. Nam ululatus illi hominum mentes multum perturbant, nec quæ consilia capiant, intelligunt in tanta animi perturbatione.

Ad tegendam cladem acceptam.

Meminerit prudens Imperator, ubi cladem aliquã acceperit, eam quantum poßit tegere, & uerbis eleuare, & nocte

nocte inscio exercitu, interfectorũ cadauera sepulturæ diligenter mandare: saucios uero propinquas in urbes, & sibi amicas mittere, nihilq́; ad eorum curationem & sanitatem pristinam recipiendam omittere. quoniam cæteris in prælijs illos & fortiores, & promptiores habebit semper: nullumq́; pro clementißimo Imperatore, & maximum quidem periculum subire recusabunt.

De uiro forti irato mitigando.

Si contigerit uirum aliquem egregium & robustum in exercitu iniuria aliqua, uel contumelia affectum, fortiter irasci: officium Imperatoris erit, eius animum blandis uerbis, nec non & muneribus aliquando mollire potius quàm exasperare: ne quemadmodum pro se uirum fortem & prudentem expertus est, ita contrà se strenuũ magis & pernitiosiorem experiatur.

De abstinendo à mercedis petitione, ubi ærariũ exhaustum est.

Fidelis Imperatoris munus, nec non & militum erit, ubi exhaustum esse uiderint ærarium, se à mercedis petitione omnino abstinere. Nam ardenti in bello cogere dominum mercedem sibi præstare, cum intelligunt eum pecunia carere, & quid aliud me hercle est, quàm illum prodere? Quare abstinendum est à mercedis petitione, si fideles & chari dominis suis esse desiderant.

De abstinendo à rebus paruis difficilibus.

Res paruæ æquè ac magnæ difficiles, prudẽti ab Imperatore

ratore prorsus omittendæ sunt. nam eadem est impensa, gloria autem impar. quare omnino abstinendū est ab huiusmodi prouincijs, quibus magnæ sunt belli expensæ, magni labores: uictoriæ autem præmium, aut nullum certe est, aut paruum.

Quid agendum à magnis ducibus.

Multa quæ non sunt à magnis aggredienda ducibus, postquā inuasa fuere, nullo pacto sunt omittenda. nobisq; exemplo sint prudētissimi illi Imperatores Romani, qui urbem Capuam obsiderunt & uicerunt. nam tanta in ea perstiterunt obstinatione, ut propriam penè deseruerint urbem, ut alienam oppugnarent. nec Annibalis robustissimus exercitus eos à prouincia illa unquam amouere potuit, & si ad extremum usq; periculum illa in obsidione plerunq; deuenerint: in nullo tamen periculo territi, nullis fessi laboribus ab obsidione destiterunt: sed pertinaciter in illa persistendo, uictoriam inde cum sua immortali fama gloriosam reportarunt.

De acquisitæ rei possessione retinenda.

Si urbem aliquam, uel prouinciam quolibet modo adeptus fueris, illas memineris nullo pacto deserēdas, sed manibus & pedibus potius retinendas esse: cum maius dedecus sit parta amittere, quàm omnino non parauisse: nec non quia & urbium & prouinciarum dominia acquirere difficillimū certe est. quamobrem haud facile illas deserendas esse censeo: imò stultum, uel insanum potius esset,

quod

quod tot laboribus, tot uigilijs, tot impensis partum est, illud leui de causa tam cito amittere.

De natura multitudinis.

Pessima mutabilis uulgi natura est, aut humiliter seruire, aut superbè nimis dominari. Quare multitudo nunquam iustè, aut æquè saltem imperabit, sed superbè & arroganter omnia semper administrabit: nullum inhumanæ crudelitatis genus omittet. duce appetitu, & non ratione utentur. Diu igitur imperium penes irrationabile uulgus haud esse poterit.

De balistariorum & Scorpionariorum multitudine.

Vbi propter magnam pilulariorum & scorpionariorum multitudinẽ, in muris defensores consistere tuto nequeunt: optimum est consilium, ut per parua murorũ foramina hostes sclopetis & sagittis petãtur, ne tuti extra urbem oppugnare ualeant.

Quid agendum, ubi muri deiecti sunt.

Contigit frequenter, munitissimarũ quoq; urbiũ bombardis, diabolico instrumẽto, latos etiã muros prosterni. unde ad hostes propulsandos omni celeritate ac studio excitandi intus sunt aggeres cum turribus ligneis, & magnæ effodiendæ sunt foueæ, & illæ acutis replendæ sudibus, ut difficilior, et hostibus pernitiosior, quàm prius, ex parte ipsius urbis reddatur oppugnatio.

O In

In manifesta urbis defectione quid agendū.

Vbi manifesta urbis apparet defectio, ense celeriter opprimenda est. Nam in manifestis urbiū defectionibus, nulla ratio ualet, nullæ seruantur leges, silent inter arma. quare quod nullis uerbis, nullis rationibus suaderi potest, iure ense quàm primum suadendum est.

De neglectis hostium castris nocte aggrediendis.

Hostium castra, ubi custodijs neglecta esse intelligentur, nō interdiu, sed nocte fortiter aggredienda sunt. Nam eo tempore proculdubio incruentā de hostibus adipiscentur uictoriam: quoniam somno uinoq́; sepulti inuenientur: quid agant, quo ue proficiscantur, alto somno exciti, ignorabunt: nec prius, quæ tumultus causa sit, intelligent, quàm hostium ense percutientur, & paßim trucidabuntur.

Quid agendum in segni castrorum oppugnatione.

Vbi milites segnius hostium castra oppugnant, signa ex uexilliferi manibus eripienda sunt, & in hostium castra proijcienda: posteaq́; milites hortandi sunt, & multis orandi precibus, ne tantum dedecus & ignominiam patiantur, ut eorum insignibus hostes potiantur. arreptoq́; scuto aliquo, Princeps cohortis illius milites sese qui iubeat: factoq́; cuneo, maiori ui quàm prius hostium castra adoriatur.

De re

De re etiam parua in bello non contemnenda.

Nihil tam leue, tamq́; paruum in bello est, quod interdum magnum gerendæ rei momentum non habeat. Igitur *prudens* Imperator *nihil in bello negligat, nec minimum quidem, sed omnibus diligenti prospiciat cura.*

De nauali certamine.

In nauali certamine uentus prosper, est uictoriæ non parua causa.

De maximis perculis temerario consilio fugiendis.

Euenit frequenter, exercitũ maximo in periculo constitutum esse: quod euadere ei penè impoßibile est. Quare Imperator *tunc consilio aliquo temerario uti debet, ut quod non ualet ratione, saltem temeritate conficiat: & hac extremis in periculis prospera sæpius usos fuisse complures* Imperatores *comperio. tanta est temerarij consilij maximis in periculis uis.*

De quadam castrorum munitione.

Vbi maximam ob loci nuditatem castra muniri nequeunt, consilium est, ut exercitus sarcinis muniatur. nam & si non multum hæc in se castrorum munitio utilitatis habeat, tamen ueræ munitionis speciem hostibus repræsentabit: qua ex re hostes à castrorum oppugnatione fortasse rei nouitate territi desistent.

Vbi equitatu hostes præualent.

Si equitatu hostes præualent, & cum illis manus conserere desideras, utilitate aliqua fortasse suadente, uel necessitate cogente, non inutile tunc erit consilium, ut singuli equites uelocissimos pedites secũ ferant, qui eodem tempore magna agilitate & descendere equo, & hostem ferire, nec non & uelociter ascendere consueuerint: & quod alijs omnino difficillimum esset, illis maxima ex assuetudine facillimum uideatur. & hoc præliandi genus in Capuana obsidione inuentum fuit.

Ad tollendam alicuius urbis obsidionem.

Ad tollendam breui duram propriæ urbis obsidionem, alterius hostium requiritur atrox oppugnatio. nam dum propriæ auxilium ferre quàm primum exoptant, inimicæ molestam soluunt obsidionem: & sic qui sua diu tueri nequeunt, aliena oppugnando conseruant ea.

De urbibus se nobis dedentibus.

Vrbes, quæ sponte sua sese nobis liberaliter dederũt, si eas ab hostibus omnino tueri nequimus, nequaquã turpiter spoliare debemus, aut aliqua illas iniuria, sed liberalitate potius afficere, ac benignitate omni in ipsas magnifice uti: ut & si non munificentia ac bonitas illa ad multos, saltem memorabile exemplum transeat, quo & aliæ urbes motæ, nobis in posterum libenter sese dedant.

De necessaria militibus artis bellicæ peritia.

Scientia rei militaris multum audaciæ & spiritus mi-

litibus

litibus, eorumq; præfectis semper afferre consueuit. nam huiusmodi profecto uiri & se caute tueri, & hostem impune ferire callide nouerunt. & ni hostes æque in arte peritos inuenerint, pro certo antequam etiam durum prælium ineant, ipsam oculis penè ipsis præuident futuram uictoriam. Quare mirum in modum augescunt animi, crescunt uires, & acriter instant pro certa uictoria. Sed hæc artis bellicæ scientia quemadmodum quotidiana paratur exercitatione, & cõfirmatur, ita longa etiã amittitur desuetudine, ut cæteræ huius sæculi scientiæ & artes.

Perita militum paucitate magnæ parantur uictoriæ.

Si quod egregium facinus & perpetua dignũ memoria agere intendis, paruũ militũ numerum, & illum quidem plurimum exercitatũ tibi assumas. nam artis bellicæ inexpertam hostium multitudinem ad satietatem usq; cædes, & gloriosam de illis, & indubitatam quidem uictoriãm reportabis. Sed si indocta multitudine illud efficere tibi persuadeas, non nescius sis uelim, quòd proculdubio te tua frustrabit opinio: & in laqueos, quos alijs tendis, fortasse tu quàm celerrime cades.

De Tyronibus eligendis.

Tyrones eligi debent iuuenes, magno & robusto corpore, quiq; famem & sitim pati, & eodem tempore humi quiescere ualeant: nec non & quibus arma attrectare, & manus quotidie cum hostibus conserere uoluptati

sit: & non labori. ludúm iocumq́; existiment, continuo in armis esse. Huiusmodi enim inuicto animo iuuenes in tuū accipies gregem. nam proculdubio in strenuos euadent milites, eorumq́; forti opera magnis sæpe in periculis uti poteris, & tibi ad uotū res succedent. Magna igitur in eligendis Tyronibus prudentia requiritur, & diligẽs cura.

Quales debeant esse milites, quibus prouinciarum & urbiū mandatur custodia.

Milites, quibus prouinciarum & urbium demandatur custodia, diligenter accurateq́; prospiciendum est, ut ex urbibus nostris sint, & dites, & nobiles: & si fieri potest, ut etiā filios chara pignora habeant. huiusmodi enim uiros semper, maximeq́; fidos habebimus: nullus timor, nulla unquam proditionis suspicio in illis erit. sibi enim, & nobili generi suo turpem & calamitosam, nec non & periculosam futuram existimabunt proditionem, scelus in terris profecto nefandum.

De modo pugnandi.

Milites punctim, et non cæsim hostes petant. huiusmodi enim præliandi genere ualde terrentur homines: & maxime, si in faciem ictus dirigantur. quare hoc illis pugnandi genus memoria nunquam excidat. Sunt etiam huiusmodi uulnera omnia ferè letalia, quæq́; potius sacerdotes quàm medicos desiderant. sed si enses Orientales habeas, cæsim, & nō punctim tibi pugnandum erit. et

adeo

adeo mortales sunt gladij illi, ut leui etiam ictu hominem obtruncare, & in partes diuidere haud difficile sit.

Quibus in locis castra constitui debent.

Castra statuenda sunt in locis quantum fieri poßit, pabulis, aquis & lignis plurimũ abundantibus: quibus milites ad libitum frui, nullo pacto, aut saltem nõ facile, prohiberi ab hostibus poßint. Præterea cauendum est, ne collem aut montem aliquem supra caput habeat exercitus, ne ab hostibus improuiso occupatus, maximo postmodum damno sit & terrori. Prospiciat etiam diligenter Imperator, ne in locis, qui facile repentinis torrentibus inundari consueuerint, castrametetur: aut ubi fortasse aggeres alicuius fluminis incisi ab hostibus, exercitum aut submergere, aut iumentis & necessarijs ad uictũ spoliari poßint. nec etiã in aperto ponantur castra, ubi hostiũ aut bombardis, aut alijs machinis graui damno exercitus affici poßit. Sed in ijs statui certa regula nequaquã posset. nã ex loci qualitate, & ex rei & temporis neceßitate, aliter atque aliter castra ponenda erunt: prudentiaq́; Imperatoris, & magna castrametandi peritia omnino opus erit.

De castrorum munitione urgentibus hostibus.

Si hostes immineant, & castra muniri necesse sit, maior equitum pars, & peditum fortiorũ in armis sint, & hostium uim propulsent: aut saltem sustineant, donec castrorum munitio perfecta fuerit, & tunc pedentim se in-

tra munitionem recipiant. hoc enim pacto illudentur hostes, & egrediendi postmodum castra illis tuto facultas dabitur: & qui se modo uictores putabãt, uicti paulò post turpiter fortasse recedent.

De subiectis potius, quàm extraneis in milites eligendis.

Subiecti potius, quàm extranei in milites proculdubio eligi debent. nam & eos magis fidos, & ad pericula semper promptiores habebis, qui pro dulci patria, pro charis liberis, pro piissimis parentibus decies in die manifestum uitæ subirent periculum. omitto affines, cognatos, & amicos: quorum memores strenue semper & acriter pugnabunt. omnes tamen & Reges & Principes, præter dites & sapientes Venetos, huius sunt sententiæ & opinionis, ut suos potius, quàm extraneos in milites habeant.

In exercitu cõparando, quid præuidendũ.

Cum bellũ aliquod gesturi sumus, quibus in locis res gerenda sit, maxime prospicere debemus. nam si in locis montosis & asperis, tunc maior peditatus quàm equitatus numerus comparari debet: & equites leui armatura maxime muniti esse debent, ut ascendere & descendere montes illis facile sit: nec non & aliquando si opus sit, peditum officia exercere ualeant. si uero in patentibus campis bellum gerendum sit, tunc in equitatu maxime spes omnis nobis collocãda est. nã in peditatu in his locis parua, uel nulla est utilitas. Hæc dicta sint non inconsiderate.

In exer

In exercitu comparando aliquãdo magnæ & inutiles fiunt impensæ.

Ad exercitus bonam ualetudinem seruandam.

Bona ualetudo in exercitu maximè exercitatione seruatur, necnon & castrorum locatione in idoneis & salubribus locis, sed præcipuè tamen commeatu abundantibus. nam ex fame plerunq; sæua pestis oriri solet, quia nimia ex uictus necessitate, immunda & humanis corporibus maximè inutilia homines edere coguntur.

Quid agendũ ubi flumen uadari nõ potest.

Vbi tam profundum flumen est, quòd neq; equitatum, neq; peditatũ recipiat, extra naturalem alueum per multiplices foueas deducendum est. hoc enim pacto aliquantulũ demisso flumine, facilis nobis et tutus transitus erit.

Ad domandum hostium exercitum.

Si fame potius quàm armis hostes domare uales, nihil melius, nihil utilius, nihil denique tibi Imperatori gloriosius contingere posset, quàm incruento exercitu uictoriã de hostibus consequi. Sed tibi cauendum est, ne cum se fame premi uiderint, sæpius te ad præliũ multis prouocent contumelijs. quo tẽpore maximè tibi pertinaciter à prælio abstinendum, & diligenter prospiciendum, ut commeatu hostium exercitus penitus priuetur.

Ad hostium exploratores cognoscendos.

Et si difficile admodum sit, in magno exercitu hostiũ

exploratores cognoscere, tamen quasdam nō inutiles cognoscendi illos explicabimus rationes. Vna erit, si sæpius exercitus lustratio fiat. nam qui in exercitu erunt, si in matriculis scripti non reperientur, exploratores esse non parua erit suspicio. Sed si ex ijs qui scripti sunt, nonnulli consilia ad hostes deferant: tunc necesse erit, ut itinera & saltus, & nemora ab armatis militibus die noctuq; obsideantur: & qui ab ijs capti fuerint, retrahantur, & torqueantur. imò & quicunq; præfectorum iniussu extra castra reperiantur, nō carebunt proditionis suspicione. Officium Imperatoris tamen erit, singulis diebus clam per callidos uiros exercitum lustrare, et hominum facies notare, & an aliqua noua eis in exercitu appareat: tunc poterit intelligere, an miles hic, & cuius, & quanto tempore fuerit. poterit etiam interdiu iubere milites in tentoria sua secedere: & si qui tunc apparebunt, comprehendi poterunt, & in uincula conijci, & quid agant cognoscere.

De occultandis consilijs.

Quid Imperator acturus sit, iterum atq; iterum cum exercitus sui prudentioribus, & rei bellicæ peritioribus consulat: neque temere aliquid agat. sed post talem maturam consultationem, diligenter secum meditetur Imperator quid acturus sit, neq; consilij sui aliquem participem faciat. hoc enim pacto ignaris consilij hostibus, nunquam ferè frustra aliquam suscipiet prouinciam, sed semper uoti compos euadet.

De uerbis

De uerbis Imperatoris exercitui exeunti ad prælium.

Exercitui ad præliū exeunti Imperator *nunciare debet, se sibimet mortem cōsciturum, nisi inde uictoriam reportet. & hæc uerba ad exercitum ad uincendum mirifice proderunt: & maxime ubi* Imperator *amatur, et obseruatur ab exercitu: ut qui* Imperatoris *liberalitatem & clementiam sæpius expertus sit. omnes pro chari* Imperatoris *salute & gloria, propriam exponerent uitam, nec post eius obitum amplius uiuere desiderarent. Quare uerbis nitatur illis suadere* Imperator, *ipsius salutem, nec nō & mortem & uitam, in eorum manibus esse.*

Ad capiendum hostes astutia.

Consilium est, ut ex uniuerso exercitu inutiliores milites tanq̄ esca, præda et sanguine auidis hostibus obijciantur: ut illorū maxime illecti captiuitate, uel trucidatione, facilius in insidias deducantur. nam parua nimium exultantes uictoria. E*t longius hostes, et nullo ordine, tanquā uictores sequentur: & hac fraude multi decepti fuere exercitus. nec hoc consilium ignorant callidi orientales milites, qui et equos sine assessoribus frequēter hostibus obijciunt, ut ad illorū captiuitatem intenti ordines deserant, & sic facile capiantur & trucidentur.*

Quid agendum de captiuis.

Hostes si capti fuerint, non temere interficiendi, sed ad fertilium potius agrorū cultū redigendi sunt: & præ-

cipue

cipue uiri, qui ad hoc opus omnino non inutiles esse uidebuntur. quæ enim cõmoditas, quod beneficium ex eorum interitu nobis unquam accedere poterit? uerum si incolumes seruabuntur, & ad agrorum culturam cogentur, ex quotidianis eorum laboribus quàm maximos consequemur fructus. Et hoc *pleriq; prudentißimi &* Reges & Imperatores *fecere: & præcipue* Mahumettus *diebus nostris* Turcarũ *princeps, qui innumerabilem* Christũ *confitentiũ multitudinem (heu* Christianorũ Principũ *dedecus) in seruitutem redegit. memores, sine fructibus neque ali exercitus posse: neq; mercedem, nisi illis uenditis, militibus præstari posse. præterea quàm fames sæuæ pestis maxima causa sit, non ignorant: quæ exercitus, urbes, & prouincias deniq; ipsas ad ultimam usq; internitiem plerunq; adducere consueuit.*

De aqua dulci inuenienda.

In maris littore semper aqua dulcis inuenitur, necnon & in locis mediterraneis, ubi frutices pullulant: uel qui maximè umbrosi sunt, hæc Imperatori *sciſſe aliquando expediet.*

De nocturno prælio.

Nocte pugnare, & post terga lunam habere, non inutile est. nam ferientium ictus, hostes haud facile euitabunt, ob falsam, quam luna repræsentat, imaginem.

De officio Imperatoris in exercẽdis militibus.

Sciendum est prudenti Imperatori, *priusq̃ descendat*

ad

ad prælium, debere & equites & pedites militaris disciplinæ imperitos multũ exercere. nam eorũ imperitia maxima existere causa posset uniuersi exercitus interitus. quia neq; ordinem sequi, neq; quid agere debeant omnino intelligẽt uiri artis bellicæ prorsus imperiti: in cuius tutela felix ac serenus beatæ pacis status acquiescit.

De officio dominorum in bello.

Reges & cætera dominia, omißis nimiũ prudentioribus consilijs suis, debent rei bellicæ peritos suorũ exercituum Imperatores *permittere recta uti belli ratione, neque temere aduersus eam illos aliquid agere, compellere. nobisq; manifesto exemplo esse potest* Pompeius *ille, qui ob eximiam artis bellicæ excellẽtiam,* Magnus *cognominari meruit: qui dum contra Cæsarem bellum ipsa ratione gerere uellet, à Senatu coactus est longe aliud agere q̃ mente agitabat & certa belli ratio poscebat. Vnde factũ est, ut insigni uictus clade, ipse cũ amicis turpiter perierit.*

De prælij signo.

Signum futuri prælij tentoria sint rubea, quæ indicãt uictoriam de hostibus, cum eorum magna sanguinis effusione.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBRI SECVNDI IN LEGES MILITARES

PROOEMIVM.

SVPEREST, ut paucis explicemus, quo'nam iure Imperatores in milites delinquentes, nec non & militum ductores, & belli & pacis tempore uti debeant. nam absque humana iustitia & æquitate, nō exercitus modo, aut regna, aut imperia, uerum nec parua quidem oppida consistere diu ualerent. tanta est in terris iustitiæ & æquitatis uis. Non ab re igitur erit, quæ in Romanis reperi legibus, hic breuiter referre: nec non & quæ hodie in puniendis delictis in exercitibus consuetudo seruatur, quæ & ipsa pro lege habetur. ut nullus in exercitu sit, qui sibi iniuriam fieri ab Imperatore unquam conqueri possit.

DE DEDEN

DE DEDENTIBVS SE HOSTIBVS.

SI QVIS *ex exercitu se hostibus nulla rationabili urgente necessitate dediderit, quo maiori in dignitate constitutus erit, eo grauiori pœna ab Imperatore, & merito quidem afficiendus erit: ne militibus, uel eorũ præfectis occasio præstetur, nulla prius tentata belli fortuna, se hostibus dare.*

De desertore.

Desertor cohortis propriæ puniri peculiariter debet, uel gradus mutatione, aut ignominiosa mißione, ut manifesto cæteris sit exemplo, nihil aliud ex desertatione acquiri posse, quàm damnum & ignominiam.

De exploratore.

Explorator qui ad hostium preces serius redierit, uel ei constituto loco ab Imperatore recesserit, capite puniatur. nec immerito. Nam exercituum salus & pernities ex exploratoribus ferè semper pendere solent. quare eo grauius puniendi sunt.

De milite, qui constituto sibi loco recesserit.

Miles qui statuto loco, metu uel temeritate recesserit, ignominiose mittatur: dolo autem, capite puniatur.

De transfugis.

Qui ad hostes transfugit, posteaquã pœnitẽtia ductus

redij,

rediit, laqueo hac uita priuetur: paratus autem ad fugam, si capiatur, capite puniatur. & hoc in nostri temporis militibus non immerito statuitur, olim autem secus.

De amittentibus arma.

Qui arma in bello turpiter amiserit, aut alienauerit, militiā mutabit: qui aūt aliena surripuit, militia priuetur.

De facientibus rem prohibitam à duce, uel mandata nō seruantibus.

Qui rem à duce prohibitam fecit, aut eius non seruauit mandata, etiam si rem bene gesserit, capite puniatur. idem & si per uallum, aut murum castra ingressus fuerit, nulla hostium urgente necessitate. Sed si per fossam, militiæ gradu deijcitur.

De concitantibus seditionem.

Qui atrocem militum seditionem concitauerit, capite puniatur. uerum si ex leui fortasse militis querela seditio mota fuerit, militiæ gradu deijciatur.

De legione deficiente.

Si legio defecerit, nullam aliam quàm militiæ priuationis patiatur pœnam.

De deportato.

Deportatus si passus est se in militem eligi, ob militiæ dignitatem capite puniatur.

De reo capitali.

Reus capitalis si sponte militiam complexus fuerit, capitis pœna plectatur.

De

De ignominiose misso.

Ignominia missus, ob militiæ decus, nullo in militē pacto recipiendus est.

De damnatis.

Damnati publico iudicio, ob eorum infamiam inter milites haud recipiendi sunt.

De subtrahentibus filios militiæ.

Qui subtrahit filium militiæ belli tempore, & exilio & bonorum parte mulctandus est. Si pace, fustibus cædi iubetur.

De debilitante filium.

Qui debilitauit filium, delectum ad militiam, dignus deportatione est.

De desertore.

Desertor eques in pace militiæ gradu deijcitur, at in bello capite punitur, si in urbe reperiatur, alibi secus milites mutat militiam.

De inferentibus manum Præpositis.

Qui manus impias intulit alicui in exercitu Præposito, capite puniendus est. ex Præpositi dignitate augetur crimen.

De contumacia.

Contumacia omnis aduersus ducem, uel militem præfectum, capite punienda est.

De faciente fugam.

Qui prior in acie fugam arripuerit, cæteris spectantibus militibus, capitis pœna puniatur. Quoniam ex huiusmodi

iusmodi fuga & terror commilitonibus, & hostibus animus augetur. qua ex re plerunq; euenire solet, ut exercitus fugetur, prosternatur'ue. Nō immerito igitur huiusmodi fugam rapientibus pœna constituta est.

De exploratoribus.

Exploratores, qui secreta hostibus nunciant, proditores sunt: quamobrem capitis pœna puniri debent, necnon & qui hostium metu languorem simulant.

De uulnerante commilitonem.

Qui commilitonem gladio uulnerauerit, capite puniatur: si lapide, militia priuetur, ne ex huiusmodi rixis in exercitu aliqua fortasse oriatur seditio.

De transfugis & proditoribus.

Transfugæ & proditores torqueātur, priusquàm capite puniātur, ut ex illis cognosci possit, an huiusmodi scelerum alios fortasse conscios habeant.

Quibus in locis milites prohibeātur emere.

Milites ijs in locis, in quibus militent, emere prohibeantur omnino: quoniam si emere possent, metu potius, q̄ precio homines ad uendendum sibi res suas compellerēt: & ne studio cultus à militia auocentur.

De deserentibus nocturnas uigilias.

Qui nocturnas deserūt uigilias, capite puniātur. nec immerito huiusmodi illis statuta est pœna, cū nō Imperator modo, uerum omnis exercitus excubantiū oculis dormiat. Quid igitur turpius, quid fœdius, quid deniq; crudelius

lius contingere posset, quàm laboribus fessum fortasse & dormientem exercitum hostibus trucidandum tradere?

De fugientibus ex carcere.

Qui ex carcere fugit, non habetur inter desertores. nam propriæ salutis tuendæ gratia, quod natura omnibus concessit animalibus, fecisse uidetur.

De desertore.

Desertor oblatus à patre, non capite, sed mitiori pœna puniri debet.

De tempore statuto ab Imperatore.

Qui intra tēpus cōmeatus non redierit, inter desertores habetur, nisi probauerit absentiæ legitimā causam.

De turbatore pacis.

Miles, qui pacis turbator est, capite punitur.

De iter facientibus.

Militibus, qui ex improuiso, dum iter faciūt, ab hostibus capiuntur, inspecta eorū bene acta uita, uenia datur.

De excedentibus agmine.

Qui agmine excesserint, fustibus castigentur, aut militiam mutare cogantur.

De capto.

Si captus non rediit, cum potuit, pro transfuga habetur: & si redierit, recipiatur, si constat euasisse, & non transfugisse.

De deserentibus Præpositum.

Qui Præpositum nō protexit, cum potuit, uel circumuentum deseruit, suspendatur.

De equitibus sclopeterijs.

In bello non inutile erit, equos Theutonum more assuefacere, pati cum sclopetis assessorem, neq; horrido strepitu terreri. illis enim in exercitu nullum militum genus utilius erit. Nam nemo in hostium exercitu tam munitus ullo armorum genere erit, qui tutus sit à sclopeti ictu: tanta, tamq; terribilis in eo bellico instrumento uis est.

De medijs curribus cum Serpentinis, seu Spingardis & organis.

In exercitu magnum serpentinarum numerum super medios habere currus, ualde utile erit. nam nullus tam robustus & magnus exercitus erit, quin illis plusquàm dici poßit, terreatur: quoniam ipsis à longe etiam milites & equi prosternuntur. Et nullus deniq; neq; propè, neq; longè tutus erit: terrore omnibus militibus & uires decident, & animi deficient.

De utili castrorum munimento.

Magnum castrorum munimentum exercitui erit, ferratos, latosq; currus secum ducere, et instrumenta ad excitandum super illos ligneas turres: quas Spingardis repleri utilißimum erit, & magna hostium pernicies illis. nanq; ob aliquantulam altitudinẽ omnia prosternentur. & hoc erit tutum, & celer castrorum munimentum.

De gratijs Deo agendis post uictoriam.

Ne quid omnino hoc in opusculo nostro intactum relinqueremus, quod in bello agi debeat: ideo Imperatorem

non

non lateat, post gloriosam adeptam de hostibus uictoriã, ipsum cũ uniuerso exercitu immortales Deo *gratias agere debere, ut ipsi & eius exercitui in futurum cæteris in prælijs propitius admodum & fauens sit: quoniam absq; diuini numinis auxilio humanæ certè uires nullæ essent. si deus nos respexerit, quid hostiũ enses nobis obesse poterunt?* Nulla *igitur post uictoriã interposita mora pius* Imperator *cum uniuerso exercitu sincera mente immensas* Deo *gratias reddat, & munera diuinæ offerat maiestati: quæ illis plurimum placatur, & mortalibus propitia redditur.*

An Christianis liceat militare.

Quia incultũ opusculum hoc nostrum legentibus, forsitan aliqua posse oriri dubitatio, an Christianis ob homicidia, urbium subuersiones, hominum captiuitates, uirginum stupra, uiduarum raptus, & innumerabilia alia nefanda, quæ in ea cõmittuntur, scelera, secularem militiam exercere liceat. Vnde *eorum mentibus huiusmodi tollens ambiguitatem, sciendum est breuiter, militare nõ esse peccatum: imò et qui militiam exercet, omniũ conditori summopere placere posse: hocq; ex diui* Georgij, & Dauid *prophetæ, uiri* Deo *omnium gratissimi & acceptissimi, necnon &* Centurionis *militia ac beatitudine, clarissimè cõstat: omitto* Georgium *& aliorum sanctorum locupletissima testimonia, qui militare non esse delictũ affirmãt. uerum quid dicam de* Christi *infallibili sententia? qui ue-*

ctigalia reddi Cæsari iußit:ut illa militibus præstãdo bel la gerere posset,& mundũ in pace maxima & quiete ser uaret: quam Deus optimus & maximus nobis in terris, ut munificẽtißimus egregium munus reliquit. Reprobabi*mus'ne igitur secularem militiam, quæ tantum nobis bonum tribuit?* Debent tamen *milites stipendio suo contenti esse,neq; ultra quid officij alicuius præstiti gratia à domino extorquere. Veruntamen ut magna cum laude militiam exercere ualeant uiri illi,meminerint has omnes & animi & corporis qualitates in eis maxime uigere debere. Secularis inquam sit uir ille,qui militare optat,& robusto corpore, quiq; pro patria & iustitia tuẽda,necnon & pace acquirẽda, cũ hostibus inuicto animo pugnet:& in exercitu diu exercitato,non imperita multitudine militet:uictu sobrius sit,ad exequendũq; mandata promptus, fidelitate insignis, singularis prudẽtiæ, misericordiæ & supernæ spei plenus. Hæc si in militibus erunt, quid culpabimus in eis? nónne* Deo *& ipsi placere poterunt?*

Conflicturi domi preciosa relinquant.

Quum ad præliũ exituri sumus, nil præter equos & arma nobiscum preciosum ferre debemus: imò nec in castris relinquere,ne hostes ad pugnã ob dite potiũdi prædæ cupiditatẽ, fortiores & alacriores reddãtur. nam mortalibus ferè omnibus hoc insitum est, ut omnia pericula etiam maxima, ob consequendas diuitias leuia, & ludos immensos existiment labores. locupletem igitur prædam

domi

domi relinquamus, ne hostibus bene pugnandi inuiti materiam exhibeamus, & ex timidis audaces, ex imbellibus strenuos efficiamus.

Ad reddendam aquationem hostibus infestam.

Si cupimus hostibus aquationẽ molestam reddere, nõ inutile erit, magnum contusi glasti copiam in superiorem fluminis partẽ cõijcere. hoc enim pacto aqua gustui amarißima reddetur: nec eam homines, aut equi bibere poterunt, tanta ei inerit amaritudo.

Quo in loco prælium cõmittendum sit.

In prælio committendo maximè prospiciat Imperator, ut à tergo exercitus aquam habeat, qua feßi equi refici poßint, & illa hostes careant. nam in longum trahendo prælium, defeßis iam hostiũ equis, proculdubio inde uictor euadet.

Ad seruandam urbem obsessam in fide.

Euenit frequenter urbes molestißima premi obsidione, & præter durißimos labores, & immensas uigilias, quas ipsa tristi in obsidione homines patiuntur, domatrice omnium mortalium fame, plerunq; etiam afficiuntur: quæ omnia sæpius ad maturiorem deditionem urbes compellere cõsueuere. nisi singulari prudentia uir illis præfectus fuerit, qui blandis uerbis, et correctionibus nonnunquam ciues & populum multa fingendo in sancta retineat fide, Nõnulla igitur exempli gratia inferius notabimus, ut his

præceptis imbuti urbis præfecti, plura et utiliora inueniri re poßint figmenta ad conseruandam domino suo urbem. Debet igitur præfectus omni studio curare, ut regis sui nomine literæ cōficiantur, quibus certa illis spes properati auxilij fiat: & si ad deditionem eos inclinatos uiderit, orationem cōtinuo ad ciues & ad populum habeat, omni arte insinuatam, qua illos à tanto facinore deterrere poßit, omnimodam illis libertatem pollicendo. studeat præterea, ut noctu in urbis propugnaculis, seu tabulatis, sagittæ cum literis affigantur, quibus ciuis aliquis ab amico, qui in hostiū exercitu sit, admoneatur, ne deditionem faciant: fraudem inesse Imperatoris pollicitationibus, cæde & igni urbem illam eum extirpare uelle omnino decreuisse, & similia alia fingendo: quæ ex obsidionis diuturnitate uerisimilia uidebuntur.

Ad euadendum de loco difficili.

Contingit frequenter exercitus per aspera montium iter facientes, ad aliquem angustū deuenire locum: quem ab hostibus obsessum inueniētes, quid agant, quo'ue se uertant, ignorant. quam ob rem Imperatorem non lateat, ut ubi ui eos inde summouere non poßit, consilio utatur. curet igitur q̃ diligentißimè Imperator intelligere, si qua hora aut interdiu, aut nocte incustoditus locus ille ab hostibus relinquatur, & tunc repente fortißimis uiris illum occupet: simulet & aliquando rei desperationem, & longius se abire in insidijs aliquibus relictis fortißimis uiris.

De ar-

De arcubus in exercitu habendis.

Pedites cum arcubus, quibus Britannici utuntur, in exercitu habere, multum plurimumq; confert. nam ob ipsarum sagittarũ ictum, nec thoracibus quidẽ homines muniti satis tuti erunt: tanta in illis arcubus uis est.

De celeriori hostium aggressu.

Si per mille passus, uel paulò minus hostium equites laxis penitus habenis, uel si pedites fuerint, per quingentos celeriori utendo cursu, ad nos contenderint: subsistere debemus, & equites & pedites fessos & anhelantes forti excipere animo, & strenuè pugnando uincere, fugare, & prosternere. nec in hoc multum laboris erit, quia fessos habebimus hostes.

De circumspiciendo locum, ubi prælium commissuri sumus.

Nunquàm ad durum prælium descendas, nisi prius, ubi insidiarũ periculum est, longè omnia diligenter accurateq; per idoneos exploraueris uiros, ne in casses & te, & exercitum tuum temere deducas: & cum maximè ad prælium intentus eris, hostes à tergo, uel à latere ex improuiso habeas: & te uictum & captum, ubi error omnino corrigi non poterit, sentias.

De aggrediendo hostium exercitum in itinere.

Si intelligere poßimus, quà hostium exercitus iter facturus sit, non inutile erit: eum accelerato itinere præire,

& idoneum ubi nacti erimus locum, illi insidias ponere, & nihil prorsus tale opinantem fortiter aggredi. nam de hostibus tunc proculdubio uictoriam reportabimus.

Vbi nobis potentiores hostes habemus, quid agendum.

Accidit frequenter tales nobis hostes effici, ut eorum uim sustinere difficilimè, aut nequaquam ualeamus: quare utile consilium est ad hostium nostrorum inimicos, auxilium & opem ferendam nobis petitum confugere, aut uicinitate coniunctos ad opem nobis ferendam prouocare: multis illis commemorando uerbis, quàm extremo in periculo res eorum sint: & ni cito subueniant, se & dominum suum hostibus deditũ iri) quod erit certa eorũ pernities) domusq; ipsius contiguæ ruinam eos proculdubio incautos oppressuram.

Cum in angustijs certatur, quid agendum.

Si in angustijs exercitus congrediantur, & neuter pedem referre, sed obstinate suum tueri locum uult: tunc salubre est consilium, ut Imperator sumpta exercitus parte hostium agmen à tergo, uel à latere fortiter aggrediatur, & si longius ei iter & arduum agendum esset. nam tunc proculdubio gloriosam de hostibus uictoriã paruo, uel nullo exercitus detrimento cònsequetur.

De nimia confidentia in bello fugienda.

Si cum exercitus hostium parte pugnandi facultatem habemus, non nostris stulte nimium confisi uiribus prælium

lium differre debemus, ut postea cum uniuerso exercitu maiorem de hostibus sperando uictoriam, manus conferamus. ne exploratam de exercitus parte uictoriā, cum uniuerso pugnando in ambiguum reddamus: quod stultum admodum, & irrationabile esset.

De Imperatoris præcepto, ut nemo aliquem captiuum faciat.

Si certam de hostibus uictoriā consequi cupimus, uniuerso ab Imperatore *exercitui, sub graui præcipiatur edicto, ne hostiū aliquem in prælio milites captiuum faciant, donec ipso ab* Imperatore *exercitui datum fuerit captiuitatis signum. nec frustra hoc erit consilium: quoniam nullum circa hominū captiuitatem tempus milites amittent, sed summis potius nitentur uiribus hostes in fugam uertere, prosternere, trucidare, ut quàm celerrime ab* Imperatore *prædæ signum accipiant.*

Ne constituto ab Imperatore loco recedatur.

Solent plerunq; militum præfecti, dum nimium se prudentes uideri student, uel aliquando prædæ spe à loco sibi ab Imperatore *magna arte constituto, temere recedere: quæ res multarū cladiū maximis etiam exercitibus frequēter causa extitit, & uictoriā de eorū manibus extorsit. quam ob rem discant* Præfecti *militum, discant prudentissimis* Imperatoris *consilijs & mandatis diligēter obtemperare: neq; plus sapere uelle, quàm eos oporteat.*

Ne

Ne castra incustodita relinquantur.

Imperator cum ad prælium descendit, meminerit ne castra incustodita relinquat: ne dum ad prælium uniuersus intentus sit exercitus, castra capiantur: & sic iumentis, et cæteris ad uitæ usum necessarijs turpiter spolietur, & castra postmodum incendantur: & sic, si res exigat, nullum postea tutum ad se recipiendũ munimentũ habeat exercitus, uel aliquod aliud graue accipiat incõmodum.

De exercitus ducibus discordantibus.

Si hostium exercitus præfecti non bene inuicem consentiant, tunc non inutile erit consilium, priusquàm ad sanitatem reuertantur, nulla intermissa mora hostes aggredi: facile enim tunc superabuntur. quoniam eorum nemo alterius parere imperio etiam salubri, animum inducere poterit, & quin malit ab hostibus superari, quàm inimici consilio uincere.

Ne inermis sit exercitus propinquis hostibus.

Si castra hostium, castra prope nostra haberi contigerit, nullis hostium pollicitationibus, nullis inducijs ducantur milites, quo minus maior & robustior pars in armis semper sit, & castra diligẽter die noctuq; custodiat. nam plerunque induciarum tempore, aut beatæ pacis spe exercitus turpiter fugantur, prosternũtur ue: et quos mascula uirtute uincere nequeunt, dolis capiunt frequenter.

De urbis

De urbis oppugnatione.

Non est dubitãdum, etiam munitissimam quamq; exercitum fortiter aggredi urbem, si eam maximè ab ignauis & prælijs penitus insuetis uiris tueri cognouerimus. nam non altissimæ turres, non lata mœnia, pauidos uiros & bellicæ rei ignaros, omniaq; timentes, satis protegent: timor animi auribus officit. quare omni postposita mora cum ad huiusmodi custoditas uiris urbes deueneris, illas corona cingere, & strenuè aggredi minime uerearis: clamore, strepitu, cœlum, terramq; replendo. eas namq; paruo exercitus labore, & eo quidem incruento, expugnabis. uerum non laxandũ prælium memineris, donec non ipsa potius sis urbe, ne ex segni oppugnatione illis & animus & uires augescant, & tui deficiant, & sic difficilior indies urbis reddatur oppugnatio.

De ponte funibus constituendo.

Solent in transportandis flumine exercitibus sublicij fieri pontes: quoniã cymbis & ratibus eos portare ualde periculosum est. sed quia aliquando deficit materia ad huiusmodi cõficiendos pontes, & tardius etiam cum magno exercitus incommodo fabricantur, consilium est, ut funibus solidis & longis conficiatur pons, hinc inde in fluminis ripis, funes magnis uinctæ palis: in medio autem fluminis alueo, duæ aut tres magnæ etiam figantur trabes, ut pons firmior, & ad transeundum cum exercitu tutior reddatur. & huiusmodi funes poterit semper exer-

citius secum ferre, ut ad iter celeriter conficiendum nulla eis sint in mora flumina.

De detrimento accepto, hostium damno resarciendo.

Accidit frequenter, uel singulari hostium uirtute, aut maiori fortasse multitudine in exercitu, uel alio modo, graue aliquod pati detrimentum: quare illud magno & forti animo alio hostium damno resarciendum est. neque huiusmodi accepto, & non minori quidem detrimēto, animo deficere debemus: imò magis animi & corporis uires ad ultionem excitare. hoc enim pacto & nostram dignitatem, & bonam de nobis apud populos & milites opinionem seruabimus, quod plurimum ad eos in fide & beneuolentia retinendos proderit.

De modo tollendi bellum ex uno loco.

Maiori imperij & exercitus nostri damno & impensa, uno quàm alio bellū gerimus loco. quam ob rem si nobis minime expedire cognouerimus in uno loco bellū gerere, in alium transferre debemus: hostium urbes, uel oppida acriter oppugnando, uel amicorum ipsorū: nec non & agros depopulando, ac uillas incendendo: curaréque omni studio & diligentia, ut nos potius sequatur, quàm nos illos. nō tamen nimia aliena oppugnandi cupiditate, nostra deserta relinquere debemus.

De aquarum penuria leuanda.

Si in urbibus uel oppidis obsessi magnam aquarū patiamur

tiamur

tiamur penuriam, consilium est, ut post inutilem inde eie ctam multitudinem, omnia bruta animalia interimantur, & sale aspergantur, ad leniendam famem: ut aqua, quam ipsa consumerent animalia, nobis reseruetur. Hoc enim pacto diutius duram perferre obsidionem poterimus.

De urbibus uel oppidis amissis recuperandis.

Si æstate ob maiorem hostium exercitus multitudinẽ, uel uirtutẽ, urbes uel oppida, aut per defectionem ad hostes, uel per proditionem aliquam amiserimus: summo studio & cura in aspera hyeme, cum hostes in hyberna concesserint, amissas urbes et oppida recuperare curemus: ut quod ob militum paucitatem uel ignauiam in æstate facere nequimus, celeritate et diligenti cura in hyeme strenue perficiamus, & militiæ famam amissorum recuperatione augeamus: aut saltem non amittamus, quod in bello plurimum prodesse consueuit. nam & populi & milites meliorem semper sequuntur fortunam.

In maiori hostium ui quid agendum.

Si hostiũ exercitus nos acriter insequitur, neq; omnino illi armis resistere ualemus, ad maritimas urbes ob commeatus abundantiã, quo nostrum alere exercitũ commode poßimus, confugiendũ est: ut & fractas uires ibi nimio labore reficiamus, & nostrum quantũ poßimus, augeamus exercitum: ut saltem pares et militum uirtute, & hostium numero exercitui æquo campo esse ualeamus.

De hostium

citu euadere curemus. nonnunquã tamen ense fortiter obstinateq́; pro salute pugnando, iter nobis aperiendũ est.

Vt maior equitum numerus hostibus appareat.

Vt hostibus maiorem militum numerum esse persuadeamus, consilium est, ut equitum pueros in armis esse, et ex illis pro numero cohortes diligenter cõstitutas cũ hastis longe ab hostibus rectis stare iubeamus. Facile enim tunc hostes sibi persuadebunt, equitum acies esse, proderitq́; multum ad terrorem illis incutiendum, quòd tot nobis adhuc integræ sint acies, ad opem & subsidium nostris ferendum, si opus esset, paratæ.

Abstinendum ab illius oppidi, seu urbis diuturna oppugnatione, aut obsidione, cui opem ferri potest.

Ab illius oppidi, uel urbis oppugnatione, seu obsidione, cui indies auxilia, nobis etiã inuitis, submitti possunt, omnino desistendum est. Nam ex huiusmodi quotidiana auxilij submißione eorum oppugnatio, seu obsidio difficillima redditur: imò impoßibile penè est, huiusmodi urbes uel oppida subigere, cum integri pro saucijs quotidie submittantur, nec desint illis necessaria ad uictũ. Quare cum recentibus uiribus, uiris, & commeatu plurimũ abundantibus semper nobis pugnandum est. Aduersus tamen huiusmodi oppida, seu urbes: uti celeri & inopinata oppugnatione, non improbamus.

In alicuius prouinciæ aggreſſu, quid agendum ab Imperatore.

Si prouinciam aliquam cum exercitu aggrediamur, quia ſingulorum oppidorum & urbium difficilis & nimis admodum laborioſa eſt oppugnatio, conſilium eſt, ut per integræ famæ, et magnæ autoritatis uiros, illis omnium uectigalium remiſsionem ad longum etiam tempus, cum iuramēto polliceamur, ſi ſe nobis ſponte dediderint. Populis enim huiuſmodi uectigalium remiſsio ſemper gratiſsima extitit, & impoſitio odioſa.

In magnarum urbium obſidione, quid agendum.

In obſidendis magno ambitu urbibus, ſummo ſtudio curandum eſt, ut publicæ latis altisq́; foueis, haud longe ab urbe intercidantur uiæ, ligneisq́; turribus fortiter muniantur, ne qua repentina ex urbe eruptio fiat, quæ magna exercitibus incōmoda afferre conſueuit. Deinde amplæ inter obſidentium caſtra fiant uiæ, ut una exercitus pars alteri auxilio cito ac tuto eſſe poſsit, ſi res exigat.

De captis hoſtium exploratoribus quid agendum.

Si hoſtium exploratores in noſtram aliquando deuenerint poteſtatem, illis uitam, & inſuper magnam pecuniam donare, non inutile erit, maioribusq́; pollicitationibus eos in poſterum ad hoſtium arcana nobis aperienda compellere, nec non & quæ nobis plurimum expedire

cogno

cognouerimus, illis referre. Nihil enim in bello utilius, nihil tutius, magisq; necessariũ esse potest, quàm hostium consilia quotidie percipere: quoniam nihil, uel parũ, quæ præuiderimus, nobis obesse poterunt. Omni igitur studio & arte, quid acturi sint hostes, singulis ferè horis intelligere curemus, neque pecunijs parcamus, & minus pollicitationibus. Verum si liberaliter remißi fuerint, nulla de hostium consilijs interrogatione facta, magnum erit confidentiæ signum, quæ res hostium animos multum conteret. ex re tamen capiat consilium Imperator, *quid magis expediat.*

De unius exploratoris opera tantum, non utenda.

Meminerimus unius exploratoris opera tantum in bello nos minime uti debere. Nam *frequenter maiorum spe ducti præmiorum, nostra ad hostes deferunt consilia: & quæ nobis falsa sunt, & minime expedire cognouerimus, fictis insidiarum plenis referunt uerbis. Quare plurium utenda est opera, curandumq;, ut neuter speculatorum alterũ cognoscat. cito hoc enim pacto fraudem deprehendemus: qua cognita, laqueo illos uitam miserrime finire cogamus.*

Ad cognoscendum hostium timorem, & fugam.

Vbi conferti sunt hostes, si eorum hastas frequenter moueri, et inuicẽ cõcuti uiderimus, illud proculdubio in-

constantiæ & fugæ magnum signum erit: proderitq; aliquando huiusmodi metus signum agnouisse.

De officio uirorum fortium.

Non decet uiros strenuos aduersa ulla terreri aut frangi fortuna: cum nihil tam durũ, tam arduum sit, quin uirtute & tolerantia facile superari poßit.

Ad recuperandam exercitus sanitatem.

Si infecti exercitus pristinã recuperare incolumitatẽ desideras, optimum erit, cum ipso montana petere loca.

Consilium ad fallendum hostes.

Fallere ac decipere hostes, ut inermes nos esse credãt, quàm facillime poterimus, si arma, quibus corpus tegimus, uestimentis occultauerimus. Hoc enim ducti errore, *præcipites certè ad pugnam ferentur, & pauciores cum pluribus manus conserere non dubitabunt.*

Ad conciliandum militũ beneuolentiã.

Imperator si diligens in ægrotantium & uulneratorum in prælio, curatione et uisitatione militũ fuerit, profecto in tantum eorũ sibi animos conciliabit, ut pro ipsius gloria, propriam etiã exponere uitam nõ uereantur.

De igni in aqua ardenti.

In maritimo prælio uti igni artificioso ad comburendum hostium classem, qui aqua non extinguatur, perutile erit. hoc enim consilio claßis Sarracena apud Constantinopolim deleta fuit, ex quo rex Saracenorum quotannis

Impera

Imperatori Constantinopolitano centum librarum auri tributum pependit.

Vbi discordant ductores, quam prius urbem oppugnare debeant.

Solent frequenter inter exercitus ductores circa urbium alicuius prouinciæ oppugnationẽ uariæ oriri sententiæ, à qua potißimum incipere debeant, alius aliam in medium afferendo rationem: præsertim ubi æquo Imperio *exercitum administrant. quid igitur in tanta opinionum uarietate agendum sit, breuiter sciendum est, sorti rem subijciendam esse, nomina ciuitatum inscribendo & in urnam conijciendo. & quæ pueri manu extracta fuerit, eam strenuè communi aggrediantur consilio: hocq; consilium non inutile erit, ne ex huiusmodi fortasse contentione, discordia, quæ exercitibus manifestã solet perniciem afferre, oriatur.*

De perfidia ulciscenda.

Et si cæteræ iniuriæ tolerari possunt, & illas obliuisci magni & ingenui animi sit: sola tamẽ perfidia est, quæ omni studio & uiribus ulciscenda est.

Genus oppugnandi urbes mari.

Vbi ad urbis mœnia nauibus applicare possumus, optimum ad repellendum à muris defensores consilium erit: nauium mali iuxta caueam rudibus inuicem fortiter uinciantur, superq; eos pontes instruantur, in quibus & pillularij, & scorpionarij ualeant ad nudandum urbis mœ

suo fugam classis arripiat. nam hostes armis onusti nunquam inimicam adipiscentur classem.

Vbi exercitus est in maximo periculo.

Vbi res ad maximũ deducta est periculum, consiliũ est ut equo descendat Imperator, *idemq; omnes milites suos facere iubeat (si expedire cognouerit) ut æquato periculo animus omnibus amplior sit, & ut fideles & strenui milites, cognito* Imperatoris *manifesto periculo acriter pugnent, hostibusq; obstinate insistãt: omniq; fugæ spe posthabita intelligant, sibi aut uincendum, aut moriendum cum gloria.*

Quid agendum ubi insistat certamen.

Cum insistit certamen, & milites iamiam ad pugnam intenti, paratiq; sunt: optimum est consilium, magna militibus, si uictoria potiantur, præmia proponere: ut ea dulci spe ducti, alacriores & fortiores ad præliũ fiant: sibiq; obstinate persuadeant, se ex prælio illo nunquam nisi uictores reuersuros. quæ insita pro certo militibus opinio, frequenter uictoriam parere consueuit.

De prospiciendo ut cõmeatu exercitus abundet.

Officiũ prudẽtis est Imperatoris, *prospicere, ut cõmeatu exercitus plurimũ abundet.* Nã *nihil urgẽte fame à militibus bene fortiterq; agi potest. quoniã et equis, & uiris fame cõfectis, proculdubio uires deficiunt: quibus nõ modo hostes strenue ferire, uerũ nec se tueri fortiter ualent.*

De irritandis hostibus ad manus conferendas.

Si cupis cum hostibus manus conserere ob aliquam fortasse uel exercitus tui utilitatem, uel tibi imminentem neceßitatem: consilium est, ut lata & magna agrorum depopulatione, aut frequenti excursione, ad hostium castra illos allicias, uel aliqua alia irrites contumelia: quibus prouocati frequenter hostes, ad prælium inconsiderate descendunt, & sic ex uoto manus conserentur. nunquam tamen prælium commitendum esse memineris, nisi prius positis hostibus insidijs, uel numero militũ, et fortitudine illis multum superior fueris. tunc enim nullis positis insidijs, sed aperto campo cum illis tuto congredi poteris.

DE RE MILITARI
FINIS.

BASILEAE, PER BALTHA
SAREM LASIVM ET
Thomam Platterum, Mense
Martio,
ANNO
M. D. XXXVII.

MINERVA.

TV NIHIL INVITA



DICES,

FACIESVE